P. O. germ.
1140 ik

m. 1140 ik

Reinecke

# REINARDUS VULPES.

EMENDAVIT ET ADNOTAVIT

## GUILELMUS KNORR.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

UTINI
IMPENSIS PETRI VOELCKERSII
MDCCCLX.

129 - A.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

LIPSIAE TYPIS B. G. TEUBNERI.

Abhinc fere sex menses in manus meas peruenit liber ita inscriptus: Reynardus Vulpes. Poema ante annum 1280 a quodam Baldwino e lingua teutonica translatum. Ex unico adhuc superstite exemplo quod circa annum 1473 Ultrajecti per Nic. Ketelaer et Ger. de Leempt impressum in bibliotheca publica Dauentriensi adseruatur recudi curauit M. F. A. G. Campbell, bibliothecae regiae quae Hagae Comitis est bibliothecarius.

Hagae Comitis, apud Martinum Nijhoff. MDCCCLIX.

Quam Reinardi flandrici qualis hic in codice Comburgensi extat uersionem cum paullo accuratius inspicerem, plurimis quidem eam seu librariorum seu typographorum erroribus corruptam esse cognoui, ita tamen ut plerisque locis mendo aliquo laborantibus, praesertim si perpetua exemplaris flandrici conparatio accederet, medicinam facili opera adhiberi posse mihi persuaderem. Itaque emendandi huius poematis periculum facere mihi proposui. Quem conatum prospere successurum eo magis sperabam, quod librum illum saeculo quinto decimo impressum Campbelli cura quam accuratissime typis descriptum esse uel primo adspectu adparebat. Cum autem in castigando Balduini poemate eo progressus essem, ut textum haberem apertissimis foedissimisque uitiis purgatum, quidam tamen remanebant loci de quibus quid statuendum esset summo opere dubitabam. Quam ob rem alios, qui melius quam ego pro uirium imbecillitate pos-

sum eius modi res perspiciunt, consulere constitui. Neque cuiquam quibus in locis haererem aperire malui quam Mauricio Hauptio, uiro illustrissimo, quem inde ab illo tempore, quo scholas eius Lipsiae ut audirem mihi contigit, summa semper obseruantia gratissimoque animo colueram, quemque non defuturum mihi esse confidebam. Nec spes me fefellit; nam, quae est eximii illius uiri liberalitas, non solum de dubiis illis quos laudaueram locis quid sentiret mecum communicauit, uerum etiam permultas quas poemate semel perlegendo fecerat emendationes mihi transmisit. Quas cum curiosius inspexissem atque cum meis conparassem, summo cum gaudio complu-ribus locis me eandem corrigendi uiam ingressum esse cognoui; sunt autem hi: u. 14, u. 54, u. 115, u. 208, u. 231, u. 287, u. 304, u. 334, u. 369, u. 388, u. 453, u. 488, u. 493, u. 505, u. 510, u. 585, u. 655, u. 667, u. 704, u. 717, u. 732, u. 776, u. 785, u. 860, u. 861, u. 890, u. 924, u. 929, u. 985, u. 989, u. 993, u. 995, u. 998 (brumae), u. 1011, u. 1014, u. 1022, u. 1026, u. 1041, u. 1050, u. 1069, u. 1074, u. 1093, u. 1109, u. 1116, u. 1118, u. 1127, u. 1130, u. 1134, u. 1144, u. 1152, u. 1156 (Inque), u. 1161, u. 1254, u. 1256, u. 1273, u. 1299, u. 1341, u. 1370, u. 1371, u. 1381, u. 1398, u. 1405, u. 1407, u. 1422, u. 1437, u. 1452, u. 1487, u. 1491, u. 1512, u. 1541, u. 1549, u. 1570, u. 1593, u. 1624, u. 1634, u. 1636 (Ut consoletur amitam), u. 1649, u. 1665, u. 1678, u. 1692, u. 1693, u. 1800, u. 1821, u. 1825.

Ceteros uero locos a Mauricio Hauptio emendatos, ubi ego aut aliam emendandi rationem inieram aut nondum quicquam temptaueram, in inferiore paginarum margine reperies diligenter indicatos.

Quodsi hanc Reinardi flandrici translationem leuiter modo examinaueris atque cum hoc poemate conposueris, nequaquam ad uerborum fidem eam esse factam facillime perspicies. Nam non solum res in flandrico exemplari uberius et fusius expositae in latino poemate breuiore narratione tantum non ubique conprehenduntur, sed quaedam prorsus omittuntur, ut quae leguntur in Rein. flandr. editione Jonckbloetiana a u. 1098 ad u. 1111 et a u. 1205 ad u. 1229; huc accedit quod Balduinus (qui quin sacerdos fuerit nemo dubitabit) alia ex suo ingenio addidit, alia mutato singularum rerum ordine narrare maluit. Inter eas autem poematis latini partes quae non e flandrico exemplari reddita sed ab ipso Balduino profecta continent, primo loco conmemorandus est prologus, quem ille carminis flandrici prohoemio substituit, (cf. initium poematis a u. 1 ad u. 22) deinde exitus carminis a u. 1798 ad u. 1835, denique epilogus a u. 1836 ad finem. Quid quod poeta noster narrationem passim interrumpit uaria animalium fata et facta ad humanarum rerum rationes referendo prauosque hominum mores castigando uel lectoris animum ad ea quae secuntur aduertendo, cf. quae leguntur a u. 271 ad u. 274; a u. 422 ad u. 425; a u. 472 ad u. 473; a u. 512 ad u. 517; a u. 554 ad u. 561; a u. 638 ad u. 643; a u. 1384 ad u. 1385; a u. 1408 ad u. 1409; a u. 1486 ad u. 1489; a u. 1554 ad u. 1557; a u. 1700 ad u. 1701; a u. 1728 ad u. 1729, quibus locis et ii adiciendi sunt ubi poeta cum aliorum ueterum poetarum tum Vergilii et Ouidii prae se fert notitiam, conf. quae leguntur a u. 327 ad u. 329; a u. 1254 ad u. 1263; a u. 1452 ad u. 1485; a u. 1710 ad u. 1713 et sedecim uersus a. u. 662 ad u. 677, ubi noster fabulam de Isen-

grini piscatu a poematis flandrici auctore obiter tantum conmemoratam animalium fabulas aliunde sibi traditas secutus uberius explicat.

Iam uero ad eas poematis latini partes transeo quae res exhibent diuerso ordine narratas. Ac primum quidem mutati ordinis exemplum reperitur ubi misera Bruni clades narratur prope Lanfreidi domum accepta, nam quae habes a u. 307 ad u. 314, in exemplari flandrico aliquanto inferius conmemorantur a u. 766 ad u. 776. Maxime uero ab exemplari flandrico singularum rerum ordine differt confessio uulpis a u. 644 ad 757, ubi Reinardi scelera hac serie proferuntur: Reinardus Isengrinum in monasterium Elmariense perducit, coronam ei curat tondendam, docet eum piscari (a u. 644 ad u. 677). Eundem ad gallinas capiendas per tecti fenestram domum intrantem de trabe praecipitat (a u. 678 ad u. 693). Ducit eum in Viromandiam ad presbyteri cellam penariam et gallum aufert (a u. 694 ad u. 739). Quid in Isengrini uxorem conmiserit obscure significat, a Grimberto interpellatur eique respondet (a u. 740 ad u. 749). Regi et reginae iniurias se intulisse confitetur et quomodo nuper Brunum, Tibertum, Canclerum in calamitatem deduxerit breuiter indicat (a u. 750 ad u. 757). — In flandrico contra poemate eadem sic disposita reperiuntur: Reinardus quomodo nuper Brunum, Tibertum, Canclerum in calamitatem deduxerit breuiter indicat, regi et reginae iniurias se intulisse profitetur (a u. 1464 ad u. 1484); Isengrinum in monasterium Elmariense perducit, coronam ei tondendam curat, piscari eum docet (a u. 1485 ad u. 1511), Ducit eum in Viromandiam ad presbyteri cellam et gallum aufert (a u. 1512 ad u. 1609), gallinas capturum de trabe praecipitat (a u. 1610 ad u.

1649). Quid in Isengrini uxorem conmiserit obscure significat, a Grimberto interpellatur eique respondet (a u. 1650 ad u. 1677). — Eodem pertinent quae Reinardus Isengrino et Bruno dicit a u. 920 ad u. 927, ubi quae leguntur a u. 923 ad u. 927 eis respondent quae habes in Rein. flandr. a u. 1939 ad u. 1944 et a u. 1950 ad u. 1954; quae a u. 920 ad u. 922 legimus eis quae in Rein. flandr. a u. 1945 ad u. 1949 exhibentur. Neque indignus conmemoratione mihi uisus est locus a u. 1002 ad u. 1015, quem ubi cum eis conparaueris quae in Rein. flandr. a u. 2110 ad u. 2134 narrantur, offenderis, nisi fallor, uersu 1009, qui non solum nulli flandrici exemplaris uersui respondet, sed etiam paene eadem quae u. 1014 et u. 1015 dicuntur exhibet, ac uersus 1010 et 1011, si ad exemplar flandricum respicias, non suo loco conlocatos esse intelleges; qui etiamsi post u. 1015 ponantur, quid de u. 1009 fiat non liquet.

Ut denique singula quaedam quibus latinum carmen a flandrico differt adiciam, Reinardi u. 1072 est hic: *Misit ad Ardennam Grimbertum quaerere Brunum*, in Rein. flandr. u. 2254 et u. 2255 haec reperis: *Hi dede Tibert den cater varen In Ardennen dat wilde lant;* at quoniam u. 1080 haec dicuntur: *Grimbertumque uocant Isengrinumque* (cf. Rein. flandr. u. 2265 sqq. *Mijn vader omboot Grimberte den wisen Ende Isengrine den grisen*) nec Grimbertum si Reinardo consilii iam conscius fuisset, aduocare opus erat, u. 1072 *Tibertum* scribere non dubitaui. Praeterea Rein. flandr. u. 2269 sq. haec habes: *Tusscen Hijfte ende Ghent Hilden si haer parlament*, cum Reinardi u. 1082 sq. legantur haec: *Hi simul ad uillam properant quae dicitur Ista, Inter Gandauum nunc Vasiamque sita.* Quamquam autem in priore uersu

quin pro *Ista Ifta* scribendum sit non dubium uidetur, de posteriore tamen quid sit statuendum mihi quidem non liquet; Vasia enim cum terra sit inter Gandauum et Antuerpiam sita (cf. Jacob. Grimmium in libro qui inscribitur Reinhart Fuchs p. CLVI.), quomodo Iftam uillam inter Vasiam terram et Gandauum urbem sitam dicere potest poeta? et quid sibi uult *nunc* aduerbium? — u. 1168 uero qui hic est: *Omnes inter eam uocat hic Secanamque manentes* (cf. Rein. flandr. 2422 *Tusscen dier Elve entier Somme*) pro *Secanamque Samaramque* quin scribendum sit non dubito, cf. u. 1289 *Seu sit pro Scalda Sēcana dicta tibi.* Adde quod u. 1311 et u. 1730 nomina propria reperiuntur quae e flandrico exemplari desumere non poterat poeta; in illo enim uersu habes: *Tibundus catulus* (cf. Rein. flandr. u. 2652: *Dat aldaer Reinout de ries*, uel ut Jonckbloetius scribit: *Reinout de Vries*) in hoc: *Boccardus simius* (cf. Rein. flandr. u. 3347: *Botsaerde sinen clerc*) quod nomen castoris nomini in Reinekio uidetur respondere, quod est *Bokert.* V. 1318 denique qui hic est: *Iam praesens scires per rhythmica dicere uerba*, nequaquam respondet Rein. flandr. u. 2662 sq.: *Ghi sout toghen weder dese dier*, *Met uwen sone*, *waers de doene*, ac nescio an Balduinus in exemplari suo inuenerit eis similia quae in codice Bruxellensi u. 2683 sq. leguntur: *Onzer beider leven ende spel In sconen rymen vertrecken wel*, sicut u. 193: *Marmor par uitro tumulo superadditur alto* magis cum Bruxellensis codicis scriptura conuenit, quae u. 454 sq. haec est: *Daerop een mermersteen*, *die was Gepolyst als een gelass*, quam Comburgensis, qui haec habet: *Van marberstene*, *die slecht was.*

Iam grauissimis quibus alterum poema ab altero

differt rebus recensitis quaerendum uidetur quid poema latinum ad ea quae uiri docti de dubiis quibusdam Reinardi flandrici locis coniecerunt ualeat aut confirmanda aut refutanda. Quo in genere si quis quae modo disputauimus perpenderit, inde iam non ita multum nos latino poemate cum flandrico conparando proficere poterit colligere. Ac sane paucos tantum qui huc pertineant locos possum adferre. In his Rein. flandr. u. 569 Jonckbloetii pro *commer coever* scribentis coniectura Reinardi uersu 243 confirmatur, cuius haec sunt uerba: *Mella fauis edi quorum mihi copia grandis.* — V. 1908 codicis Comburgensis scriptura: *Doe sprac hi: Twi sidi traech* latini carminis uersu 898: *Ergo sic loquitur Brunoque lupoque catoque* defenditur contra Willemsii mutationem e cod. Bruxell. haec in textum recipientis: *Tibert sprac: Twi sidi traech.* — Rein. flandr. u. 1949 porro Jac. Grimmius et Willemsius e cod. Comb. scripserunt: *Doe so sprac die coninc saen;* at Jonckbloetium pro illis scribentem: *Doe sprac hi ten coninc saen* recte emendasse Reinardi uersibus 926 et 927 probatur, ubi Reinardus sic pergit; *Scandere Tibertus bene scit, uestra sine poena Annectet ligno concito funiculum.* — Rein. flandr. u. 3281, in Grimmii et Willemsii editione u. 3301, ubi illi uiri docti e Cod. Comb. scribunt: *Doe sprac Reinaert*: „*Belîn, here*, recte exhibet Jonckbloetius: *Doe sprac Belijn: Reinaert, here*, nam Reinardi u. 1684 haec leguntur: *Domneque Reinarde, scio quod me diligis, inquit.* Ac procul dubio Jonckbloetius, si poema latinum habuisset, Rein. flandr. u. 2015 scripsisset: *Van allen sinen sorghen vri*, non *sonden*, nam Reinardi u. 956 haec leguntur: *Nonne pater moriens liber cura fuit omni?* — Rein. flandr. u. 2633 denique codicis Comb. scripturam: *Dies*

*maent hi u bi der trouwen* ueram esse Reinardi u. 1299 docemur, qui hic est: *Te de quaerendis dicere uera monet.* Quod autem Jonckbloetius u. 1076, u. 1087, u. 1162, u. 1862, u. 1972 excidisse putat, poemate latino uiri doctissimi coniectura certe non confirmatur. Nec uero uersus illos triginta in Grimmii editione a u. 2305 ad u. 2334, quibus fabula de ranis regem petentibus narratur, a Jonckbloetio textu remouendos fuisse poemate latino probatur, ubi illam habes a u. 1106 ad u. 1117. Melius poemati flandrico consuluit Jonckbloetius quod post uersum 2276 quattuor et post u. 2634 quinque uersus e codice Bruxellensi in textum recepit, conf. quae leguntur in Reinardo a u. 1086 ad u. 1089 et a u. 1300 ad u. 1301. — Restat denique ut Rein. flandr. u. 1513 nomen uillae in Viromandia sitae, cuius posterior tantum syllaba (..*blois*) in cod. Comb. extat, e Reinardi u. 697 restituamus scribendo: *Tote des papen van Amblois.* Quod nomen etsi in tabulis geographicis reperire non potui, tamen, siquidem latine dicitur *Amplosis*, aliud esse uix crediderim.

Scribebam Utini d. XX. mensis Augusti MDCCCLIX.

## Incipit Reinardus uulpes feliciter.

Fabula Reinardi, sicut reor, agnita multis
Teutonice scripta metrificata sonet.
Assit principio naturae summa potestas
Totius, musae fons et origo boni!
Brugis Praeposite, cui nobilitatis origo
Nomen Liedrici peruenit usque ducis —
Primus Flandrensis fuit hic comes hocque creati
Sunt reges, comites sunt quoque suntque duces.
At proauus Caesar Constantinopolitanus
Flandrensisque comes Hannoniaeque fuit,
Ac princeps auia, cui nobilitate secunda
Nec dux siue comes nec reperitur hera:
Regia stirps illam cum sanguine prodit utroque,
Et uiuens patriae praeficit illa patrem —
Nobilitate nites formaque coruscus haberis
Coniugiumque decus nobilitatis alit.
Gratia dat nomen merito tibi uera, Joannes,
Diligerisque ipso sic quoque credo Deo.
Tu faueas clero cum pars sis illius, immo
Totius hic cleri forma caputque simul.

---

6. Lidrici. 9. Constantinopolitanus *quarta syllaba producta, correpta antepaenultima, cf. Walthar. u. 644, ubi eadem syllabarum mensura legitur* metropolitanus. 14. Ut prefecit. 16. Decor. 18. Diligeris. 19. Tu faveas clero dux cum sis. *M. Hauptius scribendum esse suspicatur:* cum pars sis illius, *quam emendationem in textum recipere non dubitaui.*

Sis pius oro mihi, cum sis dignus pietate,
Asscribique tibi carmina nostra sinas. —
Iam Pentecostes aderat lux, florida Tempe
Derident, tellus gramine, fronde nemus,
Pratum flore nitens ridet spiratque rosarum
Suauis odor redolens lilia mixta rosis.
Nobilis ille leo rector dominusque ferarum
Cogit ubique feras ad sua festa uocans.
Edictumque facit treugas avibusque ferisque,
Ne quis perturbet turbine festa sua.
Conueniunt omnes. Uulpes Reinardus abesse
Proponit, sua quem culpa uenire uetat.
Ut venit ad lucem inuite factor iniquus,
Sic et Reinardus regia festa fugit,
Et nisi Grimbertus taxus sunt ipsius omnes
Hostes, incusant facta parantque queri.
Jsengrinus adest. Stipatus prole suisque
Fetibus aggreditur alloquiturque ducem:
„Rex, tibi monstro querens Reinardus quae mihi saepe
Intulerit damna, dedecus atque nefas.
Et mea cum nequeat ex ordine lingua referre
Crimina quae fecit perfidus ille mihi,
Et quamuis taceam de multis, probra satorum
Uxorisque lupae non reticere queo.
Fecit adulterium cum coniuge, lumina ademit
Natis urinans: caecus uterque manet.
. . . . . .
. . . . . .
Ut tractaretur de pace diesque statuta
Est, offert sese subdere iustitiae.
Tradunt iura, quod is se cum iuramine purget,
Assunt sacra — negans in sua castra fugit

---

38. Feminibus. 46. *Non solum exemplari flandrico quod haec exhibet:* Endi si worden staerblint: Nochtan honedi mi sint. Het was sint so uerre comen Datter een dach af was ghenomen, *sed etiam* que *particulae collocatione in uersu 47 mota mihi est suspitio duos uersus hic excidisse, nisi forte hic locus in eorum numero habendus est, ubi* que *particula ab initio enuntiati est remota, cf.* u. 1738.

Suntque tui testes mihi primates. Misereri
Te rex posco meis dedecoriqüe meo!“
Finierat lupus, atque uenit Curtois canis. Intrat
Ad regem: „Quando bruma uigeret,“ ait
„Pauper inopsque fui; nisi sola artocrea nullus
Pastus erat: uulpes me spoliauit et hac.“
Audit Tibertus catus hoc, irascitur, ipsum
Prosilit in coetum sicque profatus ait:
„Tu quia Reinardo, bone rex, irasceris, omnes
Sunt hostes. Canis hic quod loquitur nihil est.
Elapsos ultra multos hoc contigit annos.
Cum uetus existat iure querella cadit.
Non sua, sed nostra fuit esca molaeque magistro
Abstuleram, furtis abstulit ille mihi.
Cumque nihil iuris habeat Curtois canis, illam
Cum sit praedatus, desinat inde queri.“
Pancetus castor respondet ad haec: „Tace. Quidnam
Est quod uis? Curtois desinat ergo queri?
Illa nefanda lues Reinardus et inuida cunctis
Non excusandus sed cruciandus erit.
Nec domino regi nec cuiquam parceret ille
Is quin traderet hunc praemia parva ferens.
Hesterna magnum scelus hic mihi luce peregit.
Quem male tractavit ecce Cuardus adest.
Intra regales treugas foedusque statutum
Promittebat eum cantibus instruere.
Cantibus intendunt ambo. Pertranseo, novi
Acceleroque vias inuenioque duos;

---

54. Bruna. 55. cencrea. artocrea *scripsit M. Hauptius* cf. *Reinardi a Moneio editi lib. III, u. 1377 et 1636 sqq. et O. Jahnium ad Pers. sat. lib. VI, u. 50.* 60. est *ad uersum complendum addidi.* 62. cadat. 65. Cum nihil. Cumque *scripsit M. Hauptius.* 69. ille. 72. *Non hic tantum sed aliis quoque locis offendimur molesta ac putida illa pronominum quasi accumulatione, conf.* u. 416 sq.: Prope regem uenerat ille. Dum fari potuit, iam gemit hic et ait, et u. 704 sqq.: Tot uorat is quod uentre tumet, sic parte reuerti Non ualet ille satur qua uenit esuriens, Sed manet hic pleno cum uentre foramine captus et u. 1207 sqq.: factus amicus ei, Hic quoque coram te uoueat mihi, sic ego cunctas Illi iam gazas quas petit ipse dabo. 75. Infra.

Iamque magister adest ueterique ioco uacat, ipsum
Discipulum leporem strangulat ore fero,
Huncque peremisset nisi praesens forte fuissem.
Ecce, recens uulnus comprobat ista suum.
Ni rex punieris pro tali fraude nefandum,
Dedecus a sera posteritate feres.“
Isengrinus ait: „Uerum, Pancete, profaris.
Perfidus hoc dignus quod moriatur erit.
Hoc scelus indultum sit ei, breuiter quis ab illo
Qui non praesumit, aestimo, laesus erit.“
Audit id iratus Grimbertus, surgit ad illos,
— Reinardi fratris filius iste fuit —
„Est uetus exemplum, lupe,“ dixerat: „os inimicum,
Quod bene iam scitur, rarius aequa refert.
Arguis in multis patruum quibus ipse teneris
Iure reus si rem cum ratione notes.
Si duce dilectus foret et primatibus eius
Patruus et simili curia iure fauens,
Nequaquam posses euadere quin reus esses
Et damnandus in his tu quibus arguis hunc:
Dente momordisti tu pellem saepius huius,
Morsu dum valuit non resilire tuo.
Non partiris ei pladis bigis tibi iactis,
Quamuis his nimium tu saturatus eras:
Rodendum praebes ex his os piscibus illi.
Hunc quoque fraudabas ipse bacone bono.
Dum partem petiit, tu restem rodere pernae
Praecipis „hanc“ dicens, „rodito, pinguis enim est.“
Hunc acquisivit per summa pericula uulpes;
In sacco capitur sicque retentus erat,
Ille per ingenium licet euasit. Grauiora
His et maiora sustulit ille lupo.
Praeterea magis est mirandum coniugis eius
Herses quod patulo probra notanda refert.

---

79. Iam. 98. quibus hunc arguis. 101. plais. 103. os ex his. 106. *hoc uno loco, si quidem recte obseruaui, in ultimo pede hexametri uel pentametri elisio cum reperiatur, nescio an uerbum substantiuum sit delendum.* 112. proba.

Quod dilexit eum lupa per tempus scio longum,
Tali feruentes igne dedere fidem.
Si se Reinardo subiecit amore, quid inde?
Statim sana fuit, tristia nulla tulit.
Sic lepus iniustam parat exercere querellam,
Discere qui petiit monachus esse uolens.
Si male cantauit, non mirum, iure magister
Reinardus potuit caedere discipulum,
Pro sibi sublatis queritur Curtois canis extis
Quae male quaesiuit per sua furta catus:
Quae male quaeruntur male perduntur, patruusque
Furta quod arripuit nil forefecit in hoc.
Postquam sunt regis factae treugae, scio certe
Quod nihil arripuit quo reus esse potest.
Uestibus induitur duris et cuncta reliquit,
Ieiunat, uigilat pallidus atque macer,
Dimisitque domos, castella, uelutque reclusus
Non gustat carnes, pinguia, degit inops."
Talia dum fatur, spectant de ualle uenire
Canclerum gallum prole suisque satis.
Impositam feretro Coppam quoque siue Copitam
Cernunt, quam uulpes reddidit acephalam.
Canclerus quotiens pennas percussit! utrimque
De feretro gallus ibat eratque dolens.
Craiart et Cantart gestant duo lumina, fratres
Defunctae, feretri stipat uterque latus.
Pintaque cum Sprota feretrum gestat, dolor harum
Non modicus fuerat, flent nimis atque gemunt:
Germanae Coppae fuerant. Sic ante tribunal
Regis perueniunt incipiuntque queri.
Prosilit in coetum Canclerus et ista profatur:
„Audi me, bone rex, et miserère mei.
Cum transiret hiems et mensis Aprilis adesset,
Audax exieram prole satisque meis.
Octo satos habui semptemque satas mihi prudens
Trutula quas uno protulit accubitu.

---

115. quod. 145. Dum transivit.

Fortis eram iuuenisque potens; intra quoque curtis
Septa manebamus firma tenore suo,
Custodesque canes nostri fuerant ibi multi
Qui bene nouerunt exagitare feras.
Insidians uulpes totiens inuiderat ipse
Quod clausi et tuti nos fueramus ibi
Circumiens muros. Semel a canibus reprehensus,
Et quoque pellis ei dilacerata fuit,
Sed tamen euasit quam nouerat arte nefanda.
Post rediit uestes relligionis habens,
Protulit et chartam signatam nomine regis,
Hocque mihi titulo scripta legenda datur:
„Rex leo praecipio treugas auibusque ferisque
Sub poena mortis quas fore mando ratas.“
Insuper et dixit: „De me, Canclere, ualebis
A modo securus uiuere nilque timens.
Deuoui carnes et pinguia mandere cuncta:
A modo iam sancte uiuere quaero senex.
Uado, uale: Cursus ego sum dicturus et Horas.“
Sic abiens coepit dicere Credo suum.
His super exultans abii puerosque petiui
Cum quibus exiui septa timore carens.
Furtiue latebras fruticum transiuerat iste.
Dum peruenit ubi sum puerique mei,
Protinus e numero puerorum surripit unum,
Uescitur hoc: instant tristia multa mihi.

---

149. infra. 153. inuiserat. 154. non. 159. *Alia* et *coniunctionis non suo loco positae exempla haec sunt:* u. 323 sanguis et offuscans; u. 495: nunc et eamus; u. 503 suadet et ipse catum; u. 523 Nudus et e lecto; u. 533 haec et ait; u. 587 dulciter hic et ait; u. 661 pellis et usta fuit; u. 743 Dicit et alter; 746 Dic et aperta; cf. u. 775, u. 782, u. 1004, u. 1149, u. 1357, u. 1480, u. 1633. 166. Ammodo *ubique scriptum inueni.* 172. cf. *u. 417 et Walth. u. 677* Dum uulnus sensit sonipes; Ruodl. fr. I, u. 83. Dum satis obticuit; u. 122 Dum satis inter se de rebus disposuere; fr. II, u. 198. Et dum me uidi; fr. III, 13. Quo dum rex uenit; u. 27. Dum conuenerunt reges; u. 65. Dum nobis praeualuere; u. 163. Dum consederunt; u. 528 Dum rex conticuit; fr. IV, 45: Hic dum suscepit; VI, 21: Qui dum uenerunt; u. 23 rector dum uidit, u. 65 Quae dum conticuit, *aliosque locos, ubi* dum *coniunctio perfecto tempore sequente pro* ubi *uel* postquam *usurpatur.*

Postquam gustauit, nec custos nec canis illos
Illius potuit morsibus eripere.
Perduxit pueros ter quinos usque quaternos,
In tanto numerus est minor iste meus.
Illi luce canes hesterna surripuere
Coppam praesentem. Rex, miserere mei!“
Rex ait: „o taxe, patruus tuus atque reclusus
Annum si uiuam, tam sacra facta luet.
Iam, Canclere, sine, tua filia mortua constat,
Quam nos non quimus plus retinere diu,
Exequiis pulchris terrae tradamus humandam,
Consilium super his post habiturus ero.“
Iam defunctorum carmen cantare iubebat:
Inchoat altisono turba Placebo sono.
Quis lector uel quis cantor fuit, hoc mihi longum
Enarrare foret uel recitare graue.
Exequiis factis, tilia sub amoena Coppa
Ponitur in tumulo, condita sarcophago.
Marmor par uitro tumulo superadditur alto
Insculptumque gerit istud epitaphium:
„Functa sua uita jacet hic tumulata Copita:
„Uitam demit ei uulpes fera progeniei.“

## Tractatur qualiter uulpes possit haberi.

Rex his finitis barones cogit in unum
Ut super his tractent iudiciumque ferant.
Consultus super his tractans deliberat omnis,
Iudicium regi consiliumque parant.
Tandem decernunt quod debeat ille citari
Pareat ut iuri, Brunus et istud agat.
Rex ait: „urse, tibi commendo negotia causae,
Te rogo sis cautus et sapienter agas:

---

191. Copita. 193. intro. 194. *In* epitaphii *uocabulo secunda syllaba perperam producta est, quae mendosa syllabarum mensura in aliis quoque et graecis et latinis uocabulis passim occurrit.*

Gestiet ille nimis te ludere teque gravare,
Fraudabit uerbis, si queat arte sua.“
Brunus ait: „Rex, me iam castigare recuso:
Non uolo quod pro me solliciteris in hoc;
Si me deludat peream uel decipiat me,
Hunc quin compellam deteriora pati.“
Sicque uale faciens abit indignando superbus;
Huic tamen eueniet tristia multa pati.
Iamque iter arripuit indignum pectore gestans
Quod leue Reinardus fallere posset eum.
Sic per opaca ruit nemorum uicinaque siluae
Proxima quae stabat; ad loca nasta uenit,
Pascua Reinardus quaerens fuerat quibus usus.
Invenit hic curuas multimodasque uias;
Est mons uicinus quem scandere debet et altus,
Si Malepertusum Brunus adire uelit.
Plurima castella adseruat, sed dum metus instat,
Incolit hoc, reliquis firmius istud erat.
Iamque iter expediens transit suburbia ualli
Brunus et ad portam peruenit usque domus,
Et cauda residens: „Regis legatus,“ ait, „sum
Qui sacra testatur, ni uenias quod obis.
Illius ex parte iuri parere cito te,
O Reinarde, ueni, ne moriare male!
Te cruce suspendet uel membra rotis tua franget,
Ergo celer mecum, consulo nempe, ueni.“
Audit Reinardus, iacet in porta, sed ad ima
Iam loca descendit, plurima praemeditans.
Iam Brunum nouit, sed consilio parat uti
Illum quo saluo fallat honore suo.
Et sic praemeditans illi respondet aitque:

---

205. *uersum in fine mutilum expleui addendo* gravandi *uerbo apud nostrum poetam tritissimo.* 208. me *quod et versus et* pro *praepositio poscit, deest in vetere libro impresso.* 214. leva: leve *coniecit M. Hauptius. Nam si non* leue, *at* leuiter *certe pro* facile *aduerbio usurpatur* u. 1683 *et compluribus locis Reinardi a Moneio editi.* 216. stabant. 223. Iam iter expediens transitque. 226. abis: obis *scripsit M. Hauptius.* 231. Audet.

„Grates consilio do tibi, Brune, tuo.
Ut non uenisses, ego curtim regis adissem.
Namque nouis plenus uentre tumesco cibis,
Iam nequeo stare timeoque quod ire nequibo:
Ultra mensuram sum satur ipse nimis.
„Dicque quod edisti.“ „Quod edebam? uilia certe;
Uili nos inopes uescimur usque cibo.
Mella fauis edi quorum mihi copia grandis,
Sed tamen his esis usque dolore grauor.“
„Quid, Reinarde, refers? reputas tu uilia mella?
Dulcius his nihil est, nil amo melle magis.
O bone Reinarde! tu procura mihi mella,
Ad finem uitae dulcis amicus ero.“
„Brune, quid est? uis mel? credo, loqueris mihi ludens.“
„Non facio, sed mel, dulcis amice, rogo.“
„Dum fuerim certus quod mella uelis, bone Brune,
Quod nequeas denis mandere tanta dabo.“
„Ne dicas denis, Reinarde, scias quod mella,
Quae procul aut prope sunt, omnia solus edam.“
„Brune, quid est quod agis? prope degit rusticus unus,
Lanfreidus dictus; mella tot ille tenet
Quod non per senos annos consumere possis.
Haec tibi cuncta dabo, si mihi fidus eris
Et pro me placites ad curtim.“ Uouit id ipsum
Brunus, quod fieret fidus ubique suus.
Nunc Bruno dixit; „mihi tam promptum foret omne,
Brune, bonum sicut quam cito mella tibi,
Quamuis metretas septem capias!“ Ea Bruno
Dicta placent, ridet, uix quoque cessat ab hoc.

---

238 Iamque. 240. Ipse *pronomen modo prorsus superuacaneum est, ut* u. 240, u. 371, u. 415, u. 1388, u. 1411, u. 1433., u. 1598, u, 1625, *modo pro* is *pronomine positum, ut* u. 1798, u. 1816 *aliis.* 255. quod est, quod agas. cf. u. 787. 259. *Scribendum uidetur aut:* Ut pro me placites, *aut:* Et pro me placitas. 261. Tibi: mihi *scripsi exemplar Flandricum secutus.* 262. sicut *prorsus superuacaneum moleste onerat sententiam: scribendum erit aut:* mihi iam promptum foret omne, Brune, bonum sicut concito mella tibi, *aut:* mihi tam promptum foret omne, Brune, bonum, sat erunt quam cito mella tibi.

Cogitat hic: „si uim tenet ars mea, Brune, breui te
Ducam quo ridens non eris, immo dolens.“
Exit ad haec: „care mi salue,“ dixit; „habere
Si lucra uis, poteris non remanere diu.
Uadamus curuamque uiam teneamus, habebis
Iam satis, ingenium si ualet usque meum.“
Poenas, non coenas, non mel sed fel uouet illi,
Sic mel in ore gerens, corde uenena ferens.
Sic multos quos consultas firmam tibi reris
Ferre fidem, sed idem iam dare certus eris.
Iamque iter expediunt. Lanfreidi septa subintrant;
Lignorumque faber optimus iste fuit.
Lignum quercinum uidere iacens ibi, clauis
In quo confixis rimula facta fuit,
Panditur: hoc gaudensque uidet Reinardus et inquit:
„Melle fluit uas hoc: i properans et ede.
Dulce licet mel sit, sapiens age; perditus essem
Si tibi mel noceat: tu sapienter edas.“
„Nil timeas“ ait hic, „non sum stultus, bene norim
Istis quis rebus debeat esse modus.“
„Uera refers,“ ait hic, „ede!“ Tunc Brunus caput infert
Cum pedibus primis, mella uorare parans.
Extrahit hic clauos; iam lignum clauditur, intus
Captus cum capite cum pedibusque manet.
Quid modo Brunus agat? licet is robustus et audax
Extitit, hoc illi non ualet, immo nocet.
Sic captus nunquam se solui credit in altum.
Reinardus stans est undique prospiciens:
Lanfreidum celerem uidet ille uenire securi
Et dolabra. Bruno talia dixit ouans:

---

273. quos consultos firmam tibi rerum. Ad u. 282. *conf er* Walthar. u. 965 sq.: Et nisi duratis wielandia fabrica gyris Obstaret, spisso penetrauerit ilia ligno; *quod enuntiatum huic:* perditus essem Si tibi mel noceat, *est simillimum, nisi quod coniunctiuum perfecti praesentis coniunctiuo in nostro loco respondentem non in protasi habet sed in apodosi.* 287. lignus. 294. *in* dolabrae *uocabulo paenultima syllaba perperam corripitur, ut* Rein. Mon. lib. IV, u. 17: quisquis es, hic linques dolabram, nisi caedere cesses.

„Gaude, manduca, mi Brune! tuus uenit ecce
Lanfreidus, fundet pocula nempe tibi.“
Haec dicens abiit. Lanfreidus adest, uidet ursum
Sic captum, rediens concito quaerit opem.
Ad uillam stantem propius ruit ille palamque
Ursum sic captum nuntiat ille uiris.
Omnis eum sequitur populus, ruit omnis in arma
Utraque plebs capiens spicula multimoda,
Fustes, temones, fossoria, flagra, ligones,
Uncos et stiuas, ut ueniunt ab agro.
Custos uexillum, crucis hastam presbyter, uxor
Illius gestat ipsa Iulocca colum.
Sicque ruunt uetulae quae uix dentes habuere
Quaeque mouere pedes uix ualuere suos.
Sic fit ut a uulgo solet assidue recitari:
Dum currus stat aqua, plurima uerba sonant.
Quisque sibi caveat: dum damna, pericula seruat,
Saepe gravare magis nititur omnis eum.
Quod patet in Bruno, cui multi multa minantur
Qui non auderent, si suus ipse foret.
Brunus stat dubius: licet ipse pericula, poenas
Atque metus retinet, deteriora timet.
Audiit ut uoces hominum tot totque tumultus,
Cogitat intra se: „fata probare licet.“
Extrahit ergo caput: manet intus pellis et auris
Laeva, suosque pedes nititur extrahere;
Hi licet extracti sint, ungues pelle priorum
In trunco cunctos deserit ille pedum,
Sanguis et offuscans oculos de uulnere manat.
Sic nec abire potest et remanere timet.
Dum dubitat quid agat, sub sole uidet uenientem
Lanfreidum, sequitur plurima turba minax;
Tityrus et Damoetas, Daphnis, Alexis, Iollas
. . . . . .
Aegon et Damon, sic Alphesiboeus, Amyntas,

---

297. hic. 304. stinas. 310. aque. 311. *pro* seruat *fortasse legendum est:* cernit *vel* versant. 327—29. *hos uersus egregie restituit*

Cum Lycida Moeris, Thyrside Codrus adest,
Et plures alii quorum male nomina noui
Assunt, inuadunt; hic ferit, ille iacit;
Custos uexillum mouet et miserum ferit illum
Presbyterique trucis hunc ferit hasta crucis;
Contum cornutum mouet Ocris et hunc male tutum
Inuadit feriens, lumina percutiens,
Lanfreidusque magis addens fera uerbera plagis
Non parcit misero, quem ferit ense fero.
Nec minus, Hatto, furis, ferit hunc tua saeua securis:
Iuncturis humeri se gemit ille teri.
Sed hic elisus de uerbere fit sibi nisus
Fortis, et insanus prosilit inter anus,
Quarum de numero quinas proiecit in amnem
Labentem subtus: una Iulocca fuit.
Presbyter ut uidit dominam sic amne natantem,
Dimittit miserum, uociferatur ita:
„Ecce Iulocca natat! properate cito, moneo uos,
Uncis hanc liquidis fluctibus eripite,
Et uobis poenas releuans bis quinque carenas
Do uestrum cuique, dum modo detis opem.“
Dimittunt omnes miserum, parentque, mouentur
Indictis, dominam fluctibus eripiunt.
Talibus intentos cum Brunus uiderat omnes,
Uoluitur in fluuium sicque natando fugit.
Ruricolae stantes spectant ripamque tenentes
Improperant illi: „Quo fugis? adde moram!“
Ille natat qua parte magis decliuior unda
Labitur, in praeceps uoluitur atque fugit,

---

*M. Hauptius, omnia illa nomina e Vergilio desumpta esse atque unum uersum excidisse intellegens. In editione Campbelliana haec leguntur:* Tytarus, Dumetas, Daphius, Alexis Hyalas, Egori et Damori sic Alphisabeus, Amitas; Cum Licia Moeris, Tirside Codrius adest. 338. octo: Hatto *certissima emendatione scribit M. Hauptius ad uersum 363 respiciens.* 340. *scribere uolebam:* abit sibi fisus, *at quae leguntur ferri posse, dum modo anacoluthon iis inesse statuatur, recte monuit M. Hauptius.* 343. Labentem; subtus unus Iulocca fuit. 350. mouentis. 352. dum . . uiderit: *conf.* u. 1244; *sin hoc mauis, lege:* dum. . . . . uiderat. 353. in fluuio.

Cunctorumque memor tristi iam corde retractat
Ictus et iactus quos modo passus erat.
Primo Reinardo maledicit, qui modo mella
In rima trunci quaerere iussit ei,
Ocris, Lanfreidi, custodis presbyterique
Hattonisque memor iam maledicit eis.
Sic aliquantisper longe nans, sanguine plenus,
Saucius et fessus debile fecit iter.
Iam natat ad ripam properans, iacet ilia pulsans,
Reinardum cunctis iudicat esse reum.
Reinardus gallum Lanfreidi iam prope septa
Ceperat: hunc defert, abdita montis adit.
Nullius hoc iter est; placet hoc ipsum quia nemo
Arceat, ut praedam deserat ipse suam.
Implumem gallum iam reddit, uescitur illo.
Iamque sitit; sitiens quaerere curat aquam.
Aestus erat, ruit ille cito, sudorque per ora
Defluit; hinc et aquas amnis adire cupit.
Cor laetum gestat et gaudia corde uolutat:
Lanfreidum Brunum decoriasse putat.
Sic fatur: „iure jam gaudia debeo ferre,
Mortuus est mihi qui maximus hostis erat.
Est actum nostro de consilio tamen istud,
Non tamen a quoquam iudicer ipse reus.“
Sic ait, ad uallem tendit Brunumque iacentem
In ripa cernit ulterioris aquae.
Cumque uidet Brunum, dolet et quo gaudia pridem
Gestabat gestat pectore tristitiam
Et dicit: „Lanfreide miser, tu sis maledictus!
Qualiter euasit qui tibi captus erat?
Nescis quanta latet dulcedo carnibus eius,
Uescitur usque libens nobilis omnis eis.“
Ille facit finem dictis, descendit ut ipsum

---

361. *conf.* Reinardi a Moneio editi lib. I. u. 1534: dispositum nobis hoc super ire iube, *et* u. 1582: pauca tamen uobis ante iubere uelim. — *ad* u. 367 *cf.* u. 93 et u. 126: quo reus esse potest. 369. mortis. 370. Nullius iter hoc est: *pro* hoc *si quis* hic *scribat, nihil repugno.* 375. hic; hinc *scripsit M. Hauptius.* 388. cornibus. 389. eius.

Certius exploret et uideat quid agat.
Aegrum dum uidet hunc et uulnera multa tenentem,
Ilia pulsantem, iam uidet ista libens.
Dicit: „praesul, ave! Reinardus adest tuus ille
Hostis et inuisus, quem modo cerne, precor!
Quis barbam rasit, et tonsuram tibi talem
Quis dedit? haec laeua transit ab aure caput.
Abbas aut Prior es? tonsura probat tua talis,
Namque tuum decorat magna corona caput,
Atque cherothecas hirsutas exposuisti,
Quod manibus nudis, aestimo, sacra colis.“
Audiit haec Brunus, uindictam non ualet inde
Sumere, sed surda praeterit aure probra
Et redit in fluuium uelox et tranat eundem
Et uenit ad ripam ulterioris aquae.
Qualiter ignorat iam regem possit adire,
Suntque pedes aegri, stare uel ire nequit.
Sic iter arripuit, caudaque sua residendo
Per femur utrumque uerrere coepit humum,
Sicque fatigatus se per sua membra uolutat
Et rotat in gyrum sic abeundo procul.
Quando uenire uident hunc qui cum rege fuerunt,
Mirantur. Primo rex bene nouit eum.
Rex ait: „ecce uenit Brunus meus ille satelles,
Saucius et laesus per caput ipse rubet;
Et quis eum laesit?“ prope regem uenerat ille.
Dum fari potuit, iam gemit hic et ait:
„Rex, pro Reinardo queror, hic quia perdere fraude
Aurem me laeuam fecerit atque genas,
Sic quoque me laesit.“ Sed rex ait: „ultio digna
Ni super his fiat, sim maledictus ego!“
Denotat hoc illos quos gloria uexit inanis,
Praelatinus honor quando paratur eis,

---

397. hic. 400. chirotecas; cherothecas *scribendum uidetur, quamquam sic quoque remanet falsa antepaenultimae syllabae mensura.* 401. colas: colis scripsit M. Hauptius. 405. citerioris. 409. uertere: uerrere *scripsit M. Hauptius.*

Nec curant leges sed quaerunt lucra, rapinas.
Propria non tribuunt, ast aliena uorant.

## Mittitur catus pro uulpe.

Nec mora, Barones ad concilium uocat omnes
Ut iam decernant quid facient super his.
Decernunt cupiuntque quod hic iterato citetur,
Tibertusque catus nuntius ibit ad hunc,
Reinardo quoniam priuatus is est et amicus
Et quamuis paruus corpore mente ualet.
Regi consilium placet hoc. „Cate," dicit, „abito,
Ut tecum ueniat fac cito, namque potes;
Ex istis quidam dicunt tibi quod bene credit
Consiliisque tuis utitur ille lubens,
I celer ergo." Catus respondet: „me, bone, noli
Mittere, rex, dubito qualiter illud agam.
Et cum non potuit Brunus tam fortis et audax,
Istud perficiam quomodo paruus ego?"
Rex ait: „es prudens quamuis paruus; quia multi
Per uim quod nequeunt artibus illud agunt,
Quod iubeo cito fac." Ait hic: „jam mittor ad istud
Tristi mente, bonum det Deus inde mihi!"
Saepe futurorum mens est praesaga malorum
Affore testatur quae mala saepe sibi.
Tiberto patet hoc, qui tali mente tetendit
Regis ad imperium, nam mala multa tulit.
Iamque iter aggreditur currens, procul inde uenire
Fatalem larum prospicit hic et ouat:
„Salue, lare!" refert, „latus ad dextrum mihi pennas
Uerte tuas, transi sic et ad alta uola!"
Iam uidet hic fruticem per quem transire uolebat,

---

427. pro facient *suspicetur aliquis scribendum esse* faciant, *verum consuetudinem nostri poetae respicienti nihil mutandum esse persuasum erit.* 430. quin. 441. agant: agunt *scripsit M. Hauptius.* 446. placet. 449. larum *priore syllaba perperam producta in sequenti quoque uersu habes.*

Perque latus laeuum transiit ille suum.
Sic per auem factum Tibertus idem sibi signum
Pro tristi reputat, nec placet omen ei.
Mente tamen ualida suffert et gaudia moustrat
Exterius, quae non intima cordis habent.
Ad Malepertusum ueniens iam repperit illic
Reinardum, portam qui stetit ante domus.
Stabat enim cantans, iubilans quoque deliciose,
Ut princeps regni totius ille foret.
„Salve Reinarde!“ Tibertus dicit, „amice,
Atque bonam noctem det Deus ipse tibi!
Rex iubet ut uenias mecum mortemve minatur
Hic tibi ni uenias; tu celer ergo ueni.“
„Care nepos!“ Reinardus ait, „bene iam uenias tu,
Tu mihi dilectus, sum tibi nempe fauens.“
Nil nocet inter eos Reinardo blanda loquella;
Corde dolos tractat dulciter ore loquens.
Apparens istud fiet notumque priusquam
Cunctorum finis uenerit inter eos.
Sic quoque sunt multi qui coram dulce loquuntur,
Sed tamen est nequam post et iniqua fides.
Dicit item: „mecum pernocta, maneque primo
Ad regis pariter ibimus ambo domos.
Non cognatorum cuiquam plus quam tibi fido,
Tu quia cognatus es meus atque nepos.
Uenerat huc Brunus, tam fortis, tam ferus ille
Extitit ut secum currere pertimui.
Ibo tamen tecum; dum crastina uenerit hora
Ortusque aurorae, suscipiamus iter.

---

453. *ad* latus suum *conf.* u. 63, u. 82, u. 150, u. 260, u. 479, u. 511, u. 647, u. 717, u. 732, u. 757, u. 847, u. 893, u. 912, u. 917, u. 1062, u. 1174, u. 1177, u. 1211, u. 1213, u. 1225, u. 1373, u. 1528, u. 1543, u. 1653, u. 1784, u. 1830. 468. *Quae in Rein. flandr. habentur non nihil ab his differunt; cf.* u. 1076: Wat cost Reinaerde scone tale? Nil nocet *intellegendum est: Non parum prodest, uerum nescio an scribendum sit:* Nil tacet *uel fortasse* uacat, *id enim quodam modo conuenit cum loco illo e Rein. flandr. adlato qui hoc uult: prodigus est blandae loquellae.* 478. hic. 480. *pro* dum *hic et* u. 548 *fortasse* cum *scribendum est.* 481. ortus

Ergo morare, veni!“ „quid edemus, si moror?“ inquit.
Alter ait: „rara nunc,“ ait, „esca mihi.
Melle potes uesci: uis mel?“ „non, estne tibi mus?
Iam murem tantum da, satis illud erit.“
„Uis mures?“ dixit. „uolo, mures diligo, nam mus
Est dulcis, cunctis plus placet ille cibis,
Muribus erga me posset redimi tua culpa
Quamuis occisor iam patris ipse fores.“
Hic ait: „ergo ueni: hic est prope presbyter unus
Tot pingues mures horrea cuius habent
Quos non gestaret currus; tot sunt ibi mures
Quod sua, conqueritur, horrea cuncta replent.“
„Essem nunc utinam praesens!“ ait ille. „Ueni nunc,
Te ducam mecum, nunc et eamus,“ ait.
Iam properant ambo; ueniunt ad tecta cupita
Et cingit paries terreus omnis ea.
Praeterita nocte fracturam fecerat illic
Reinardus, gallum dum tulit inde bonum,
Presbyterique puer est iratus laqueumque,
Ut uulpem capiat, insidiando struit,
In lustro laqueum sistit: Reinardus id ipsum
Nouerat, intrare suadet et ipse catum:
„Intra, manduca,“ Reinardus dicit, „et audi
Qualiter alludens mus ruit omnis ibi.“
Dicit Tibertus: „intrem? suadesne nociuus?
Noui presbyteros tot quoque scire dolos,
Hos attemptare dubito.“ Reinardus ait tunc:
„Audax esse soles; hic metus unde uenit?“
Iam pudet hoc dixisse catum; cito prosilit, intrat
Et cadit in laqueum qui sua colla ligat.
Paret adulantis infida fides; ita daemon
Uel caro uel mundus istius instar habet,
Sic et adulantes per mundi nos mala ducunt
Donec nos faciant mortis adire mala.

---

488. ergo. 490. hic prope: est *inseruit M. Hauptius.* 491. habet. 493. quot. 505. aludens.

Ergo resistamus istis suasoribus omnes,
Ne nos in laqueum per mala facta trahant.
Stat catus, in laqueo delusum se uidet, alto
Clamorem miserum protulit ille sono.
Martinusque puer excitur, clamitat; „Eia
Uulpes est capta, percutiamus eam!“
Suscitat inde patrem, matrem reliquos quoque cunctos,
Nudus et e lecto transuolat ipse pater,
Et puer accelerans it ad illum, clamitat; „hic est!“
Accendit lumen ipsa Iulocca cito
Uxorisque colum sumit pater et ferit illum.
Inuadunt omnes nemoque parcit ei,
Martinus petram sumit quam iecit in illum,
Et percussurus elevat ipse colum.
Tibertusque uidens metuensque mori ruit illi
Inter utrumque femur, dentibus, ungue fero
Extrahit hic unum de testibus, idque Iulocca
Quando uidet, nimium condolet haec et ait:
„Non ego pro magno uellem iam munere, testor,
Quod dolor hic nobis contigit atque pudor!
Uellem quod nunquam laqueus situs iste fuisset,
Is pereat pro quo iste statutus erat!
Care puer, patris hic est de testibus unus,
Damnum nempe meum dedecus atque suum,
Et quamuis fuerit sanatus uulnere tali,
Non hic ad uenerem promptus et aptus erit.“
Audit Reinardus sicut stetit ante foramen,
Pro magno risu sibilat ille culo.
Iamque: „Iulocca, sine,“ dixit, „dolor immodicus cur
Est tibi? solare tristia corda tua.
Uidi multotiens oracula quae resonabant
Una campana, nec pudor extat eis.
Presbyter allisus dum sanus erit, bene sola
Campana poterit hic resonare tibi,

---

516. suasionibus: suasoribus *scripsit M. Hauptius.* 533. nimium dolet: condolet *scripsit M. Hauptius; ego scripseram*, se dolet, *at illud probabilius uidetur.* 537. is pro quo pereat cf. u. 1627. al. 539. mecum. 540. fuerat.

Sicque parum perdes resonando locumque prioris
Fratris qui superest suppleat ille tibi.“
Haec dicens abiit Reinardus, presbyterumque
Ad molles portant iam recubare toros.
Designantur in hoc bene mores presbyterorum
Qui sunt incesti luxuriamque colunt,
Dicuntur merito nudi uirtute, pudore,
Cum nihil hos sceleris luxuriaeque pudet.
Testiculos perdunt, cum per mala sunt muliebres
Actibus et fugiunt mollibus esse uiri.
Sic in derisum populi ueniunt, inhonorant
Se per luxuriam perque gulosa mala.
Clade sacerdotis uidet illos quando morari,
Molitur funem rumpere dente catus.
Quo rupto properat fugiens extraque foramen
Prosilit atque suas arripit ille uias
Et uenit ad regem sol quando coepit oriri.
Saucius et laesus constitit ante ducem.
Hunc amisisse dum rex lumen uidet unum,
Reinardo duras protulit inde minas.
Ac ad consilium primates cogit in unum,
Ignorat quoniam quid faciat super his.
Sed de consilio dubitant. Consurgit ad illos
Grimbertus: „multa uos agitatis,“ ait;
„Sit licet in duplo patruus nocuus, uice trina
Postulat ut iuris ordo, citatus erit,
Utque solet liber; si iam non uenerit, horum
In quibus arguimus tunc erit ille reus.“
Rex: „Grimberte“ refert, „quis uis trino citet illum?
Quis quoque uult oculum perdere siue genas?
Audax nullus erit.“ Grimbertus dicit ad ista:
„Audeo, si iubeas, hoc opus aggrediar

---

571. quin: quoniam *scripsit M. Hauptius, quod melius est quam* qui iam, *quod ego conieceram.* 574. Sit licet mihi duplo: in duplo *scripsit M. Hauptius, ac sane* in *in* mi, mi *in* mihi *quin facile mutari potuerit nemo dubitabit.* 577. *conf.* u. 93 *et* u. 601; u. 98 *deest* in *praepositio.*

Prouidus et cautus.“ Tunc rex ait: „o bone, uade!
Ne te decipiat per mala facta caue.“

## Mittitur taxus pro uulpe cum quo uenit.

Sic Grimbertus abit, Malepertusum petit. Illic
In fouea patruum repperit atque suos.
Quam citius potuit patruum natosque salutat
Ac Hermelinam, dulciter hic et ait:
„Tempus adhuc, Reinarde, tibi non esse uidetur
Ut mecum uenias regis ad hospitium?
Hic accusatus multum grauiterque citatus
Es ter; quod uenias consulo nempe tibi.
Sique diem trinum transire sinas, tibi nulla
Esse potest uenia, ius perit omne tuum,
Et Malepertusum rex destruet anteque portam
Ipse crucem faciet constituetue rotam,
In qua punitus fies uxorque satique
Subdentur poenis, ipse nec effugies.
Consulo quod mecum uadas: tibi contigit usque
Maior fortuna difficilisque magis
Quam coram cunct s per iussum regis abires
Cras liber causis in quibus argueris.“
Inquit Reinardus: „scio quod uerum mihi dicis,
Ire tamen tecum iamque timesco satis,
Nam cuncti qui sunt illic mihi sunt inimici:
Ire bonum si rex me sinat omen erit,
Et tamen ire mihi melius quam perdere cuncta,
Uxorem, natos lustraque siue domos,
Sique tenere uelit nos rex, uitare nequimus:
Tecum quando uelis ire paratus ero.

---

585. foueam. 590. hoc: u. 600. *recte se habere ut credam uix a me impetrare possum; nam* si *coniunctionem nemo est quin desideret, nisi forte u.* 87 *illi explicando sufficere putas. Scripsit fortasse Balduinus:* qua iussu *vel* si iussu, *poterat quoque haec dicere:* magis. Quocirca cunctis per iussum regis abibis Cras liber causis in quibus argueris. 603. que *superuacaneum esse uidetur. at confer* u. 1649. 609. quando *coniunctiuo modo sequente reperis etiam* u. 54.

Hermelina, meos commendo modo tibi natos
Ut pascas, foueas hos dape mente bona.
At Reinardinus, cuius lanugo nitescit,
Assuescet patris actibus ille, reor;
Nunc quoque commendo reliquos, specialius illum.
Est quoque Roscellus fur bonus atque sagax.
Sique bonum facias natis, si uenero sospes,
Grates condignas reddere promptus ero.“
Sicque uale faciens abiit: tristantur et uxor
Et nati dum sic propria cuncta fugit.
Aggrediuntur iter Grimbertus, patruus eius.
A Malepertuso non procul exierant,
Cum Reinardus ait: „En aspice, dulcis amice,
Prae terrore graui sudo tremoque necis,
Iamque mori uereor, contritio magna mouet me
De culpae factis praeteritisque malis.
Sed si confessus fuero mea crimina, fiet
Clarior et ueniam spiritus inueniet.“
Alter ait: „si uis ueraciter illa fateri
Et liber cunctis iam fore criminibus,
Iam detestari tu debes furta, rapinas,
Uel confessio nil proderit ista tibi.“
Ille refert: „uerum dicis, non presbyter ullus
Est hic: audi me, iam rogo, consulo te.“
Incipit hic et operta simul peruersaque fari.
Alter ait: „nequeo sic tibi consulere;
Ut sunt facta mihi debes probra cuncta fateri
Utque sciam, ueniam si cupis inde dari.“
Denotat hoc quod sit confessio raro fidelis
Ultima, quin uenit sera, metuque necis
Quidam uerborum per pallia probra fateri
Sic cupiunt, sed non est dolor ille bonus.
Uera, frequens, humilis confessio, pura, fidelis
Sic sit ut auditor crimina cuncta sciat.

---

610. modo *posteriore syllaba longa ut* u. 918, *et iam apud ueteres inuenitur cf.* Lachm. ad Lucr. II, 1135. 622. Unde. 623. Prae timore: cf. v. 1190. 625. De culpe factis; *suspicor scribendum esse*: De culpa facti.

Incipit hic iterum: „cunctis auibusque ferisque
Me peccasse queror, est mea culpa grauis.
Ac Isengrinum plus quam tibi dicere possum
Decepi totiens, nec suus exto nepos;
Hunc patruum dixi, quod per mendacia finxi
Utque magis possem fraudibus esse nocens.
Hunc et ad Almariam duxi, nos ambo recepti
Illuc extitimus relligione simul.
Discere nempe cupit ibi campanas resonare,
Ac campanarum funibus apto pedes,
Quos trahit et retrahit, placet, et non destitit inde
Dum cuncti ueniunt iniciuntque manus,
Huncque peremissent, si non statim retulisset:
„Fratres desinite, monachus exto loci.“
Post huic tonderi faciebam fraude coronam
Et poterit semper illius esse memor.
Cunctos de capite crines uri faciebam,
Contrahitur cranium, pellis et usta fuit.
Post supra glaciem pisces huic quaerere suasi
Imposita cauda sic residebat aquis.
Frigus erat magnumque gelu, quod cogeret undam,
Et dixi „caueas ne moueare sedens!“
Commovet ille tamen caudam leuiter, mihi dicit:
„Care nepos, multus, sentio, piscis adest.“
„Desine,“ tunc inquam, „moueas non amplius illam
Dum ueniunt pisces.“ Hic sedet, haeret aquis.
Noui, lux oritur, curro, pertranseo uillam,
Excito iam populos tunc moueoque canes;
Diffugio, ueniunt populusque canes quoque: caudam
Nititur extrahere, non ualet, haeret aquis.

---

651. Illuc et extitimus: et *deleui.* 655. icti. 657. monachus *antepaenultima producta ut* u. 118; *cf.* Reinard. a Mon. ed. lib. I, u. 447, u. 560, u. 643, u. 648, u. 1325, u. 1406, u. 1576. 658. hinc. 664. quod cogebat nudam: *M. Hauptius coniecit:* cogebat et undam, *at quod scripsi mihi quidem ueri similius uidetur.* 667. multis. 668. Desine tunc moueas: *M. Hauptius scribere uolebat:* tunc dixi, *cui uerbo* inquam *praetuli, quod, nisi fallor, inter* tunc *et* moueas *facilius poterat excidere.*

Cernitur, inuadunt omnes, trahitur, baculatur,
Ictibus et canibus sic obiisse putant.
Unus et exemit gladium, ferit, amputat illi
Caudam, uix laesus aufugit ille miser.
Inde reconcilior huic ac pacem mihi praestat,
Anni per spatium iurat amicitiam.
Altilibus multis illum uoui satiare
Firmior ut nostra duret amicitia.
Inque domo iuxta ualuas dixi residere
In trabe cum gallo ter quater altilia,
Hos illi uoui concedere, dummodo mecum
Iret; abimus, ibi scandimus alta domus
Stansque metu iuxta ualuas ait: „inuenio nil.“
Dixi: „curre intra, iam satis inuenies.“
Et dubitans intrat; quod eum fraudare ualerem
Dum uideo, moneo, procidit interius.
Hoc casu cunctos hic suscitat aede cubantes,
Surgunt, accendunt lumen eumque uident.
Inuadunt illum, capitur, trahitur, laceratur:
Qualiter euasit non bene scire queo.
Pacificor rursus huic, carnibus hunc saturare
Uoui sumque per hoc factus amicus ei.
Terra quae fertur Uiromandia presbyter unus
Mansit, et Amplosis uilla uocata fuit.
Ditior hoc nullus: cameram retinebat, in illa
Carnibus apposita plurima perna fuit.
Quaque latens feci cum fraude foramen (et illuc
Intraui totiens hinc alimenta trahens)
Huc Isengrinum duxi mecum; sed et illud
Intramus, dictis uescimur ambo cibis.
Tot uorat is quod uentre tumet, sic parte reuerti
Non ualet ille satur qua uenit esuriens,
Sed manet hic pleno cum uentre foramine captus.
Hinc ego quo possum fallere cerno locum.

---

678. *post* huic *inserui* ac. 687. cur: curre *scripsit M. Hauptius, quod ad illud* cur *propius accedit quam si quis scribat* quin. 704. uenter. 705. *Pro* uenit *scribere malim* ualet. 707. hunc ego quod: hinc ego quo *scripsi, quamquam quae leguntur quodam modo explicari posse fateor.*

Presbyter hic habuit dilectum nempe caponem
Quem placido fecit pectore ferre nolam,
Assuetum manibus cunctorum sumere pastum;
Pinguior hoc illa non regione fuit.
Illum presbytero rapui comedente, uidente,
Ad mensae tripodas stans licet ipse fuit.
Presbyter iratus ad mensam mouit et inquit:
„Unquam quod uidit talia nemo reor:
In propria uulpes iam praedo domo spoliat me,
Sed quod uenerit huc, uae sibi! namque luet.“
Cultellum sumit, sequitur me cum famulis sex,
Instant meque fugant, ast ego diffugio;
Hac Isengrinus qua stabat parte cucurri,
Ipsis nam uolui uisus ut ille foret.
Presbyter exclamat: „hanc praedam desine, praedo,“
Et quia pinguis erat decidit illa mihi,
Ac Isengrinum uidet is dum subleuat illam,
Hunc ultro iaciens impetit ille ferox,
Fustibus inuadunt illum dicti famuli sex,
Exoritur clamor famaque talis erat:
„Presbyteri cameram subiit lupus inque foramen
Quod subiit captus uentre tenetur adhuc.“
Conueniunt populi, capitur, trahitur, laceratur,
Antro detrahitur collaque fune ligant,
Innectunt collo lapidem, sua lumina uelant
Hortanturque canes, hunc agitare student
Donec fessus humi cecidit quasi mortuus haerens.
Dumque uident pueri gaudia magna tenent
Imponunt illum feretro, clamore ferentes
Huc illuc magno, cantibus atque iocis;
Tandem proiciunt in fossam; qualiter ille
Fugit et euasit non bene scire queo.
Tot mala pertulerat per me quod nescio finem.

---

708. dilecte. 713. Licet *indicatiuo modo sequente occurrit etiam* u. 109, u. 290, u. 316. 714. uouit, *quod hic locum non habere apparet: scribendum uidetur* monit *uel* surgit. 717. hucue sibi: ne *cum* huc *perperam coaluit.* 724. ille. illa *propter* illam *in sequenti uersu necessarium est.* 725. Huic. 732. Innectant.

Me tamen uxori plus probra facta mouent;
Hanc erga multum forefeci, me piget huius
Plus reliquis factis,“ dicit et alter ad haec:
„Nescio sermonem quo uertis: „ego forefeci
Illius uxori“ nescio quid notat hoc.
Dic et aperta mihi quod scire queam tua facta,
Si uis consilium quod tibi dem super his.“
Alter ait: „si dixissem tibi: cum muliere
Dormiui patrui, non honor esset idem.
Scitoque quod mihi rex non euasit nisi lusus
Et laesus fuerat artibus usque meis.
Talia reginae feci, quod uix ad honorem
Peruenient de me qualia passa fuit.
Brunum sanguineam faciebam ferre coronam,
Tibertum duxi quo mala pertulerat,
Canclero rapui pullos magnos minimosque,
Hinc de me fuerat iusta querella sua.
Nunc, Grimberte, mea tibi dixi probra mihique
Iniungas quod tu uideris expediens.“
Grimbertus sapiens fuerat uirgamque reuellit
Cum qua donat ei uerbera dena quater,
Consulit ut psalmos legat errantesque reducat,
Ieiunet, uigilet et sacra festa colat,
Abiuret furtum, praedam, sed et a modo uiuat
Contentus propriis abstineatque malis.
Arripiuntque uiam postquam confessio facta
Constitit, ad regem protinus ire student.
Statque prioratus ibi nigrarum monacharum
Non iusto calle sed secus inde parum,
Seruat et altilia non pauca domus memorata.
Nouit Reinardus sicque profatus ait:
„Iam uia nostra patet, tendamus eo prope claustrum.“
Lusit Grimbertum taliter hic et eunt.
Hicque uidet plures gallinas atque capones,
Unus et ex illis exterius capo stat;

---

741. uxoris: uxori *uerum est.* 751. fuerit: fuerat *hic requiritur.*
753. Perueniet.

Impetit hunc uulpes, spargit plumas, ait alter:
„O Reinarde miser, desine! quidne facis?
Uis nunc confessus ad pristina probra reuerti
Ac abiurati iam reus esse mali?
Te taedere nimis posset.“ Reinardus ad ista:
Non mihi continget amplius hoce malum,
Istud et oblitus fueram: mihi quod uelit istud
Indulgere Deum te rogitare rogo.“
Iam redeunt ad iter, pontem subeunt, retroflectit
Lumina Reinardus semper ad altilia.
Grimbertus notat et dicit sic: „pessime, quidnam
Est quod agis, nec adhuc corda domare potes?“
Et Reinardus ait: „tu peccas me quia turbas,
Me duris uerbis quippe dolere facis.
Sum memor aucarum, sic altiliumque anatumque
His rapui fraude quae dominabus ego,
Pro quibus orare studeo.“ Sic fatur, at ipse
Spectans altilia dente ligurrit ad haec.
Si caput auulsum foret illi iam, nisi fallor,
Tam cupit altilia, quod uolitaret ad haec.
Par huic est qui confessus sua probra nec horret
Ad mala quae planxit prima redire cito.

**Hic uulpes uenit coram leone et persuadet pulcre.**

Reinardus graditur, quantoque propinquior aulam
Aggreditur, tanto continet ille metum
Atque metu sudat; ueniens cognoscitur illis
Cum duce qui fuerant, it manifestus eis.
Et regis natus uelut esset nec forefactor
Conscius ullius ibat in alta means.

---

776. Impetiit: *alterum i delendum est.* 781. hocque. 782. uelut: nelit *scripsit M. Hauptius.* 783. Deus. 785. Reinardinus. 790. altilium et anatum; *quae metro repugnant; restitui uersum scribendo:* altiliumque anatumque. 792. *pro* ac *apud Balduinum ubique producto M. Hauptius scripsit* at. 795. rapit: cupit, *nisi fallor, requiritur, quamquam sic quoque non satis recte procedit sententia.*

Huncque uenire uident hi qui cum rege fuerunt;
Debilis atque potens, pauper et ingenuus,
Et nullus remanet humili tam stirpe creatus,
Hunc accusare quin parat atque queri.
Hic intergressus ad regem dicit: „aue, rex!
Semper honor tibi sit, sum tibi nempe fauens,
Nec puto quod talem famulum rex ullus habebat
Et sibi tam fidum quam tibi semper eram;
Et coram cunctis extollens semper amansque
Te fueram, semper laetus amore tuo.
Sed sunt non nulli qui me priuare laborant
Fraude fauore tuo, sic et honore meo
Meque grauare student odiumque mihi generare,
Sed nequeunt, cum sis prouidus atque pius.
Sic nec fallaci uis credere siue dolosis,
Quod constat ducibus et tibi summus honor,
Nec reges decet ut credant mendacibus aut his
Qui bene nouerunt laedere fraude bonos.
Sed coram ducibus hodie bene credulus aulis
Falsus adulator regnat habetque locum,
Sed qui ueraces sunt atque boni remouentur
Et sunt contempti, curia spernit eos.
Nec detractori, rex, debes credere, cum sis
Nobilis atque potens, iustus amansque bonos.“
Rex respondet ad hoc: „o fur Reinarde! malignas
Quantas scis artes, uerba dolosa simul;
Scis et adulari; nec sit tibi pacificator;
Ergo sinas fari subdola uerba tua.
Quod tibi gratus eram, quod seruieras tibi reddam
Grates condignas, praemia nempe feres:
Suspendere, reor, hac luce, tuumque probabit
Iam collum quantum ponderat ipse culus.“

---

804. uenerunt; *quod metrum subuertit:* qui cum rege fuerunt *et sollemnis apud nostrum est locutio cf.* u. 412, u. 801, *nec mendum illud quin e uerbo* ueniendi *in initio uersus posito ortum sit dubium esse potest.* 813. fuerim. 831. *Possis quoque sic interpungere:* subdola uerba tua, quod tibi gratus eram. Quod etc. 832. seruieris. 835. *in* culi *uocabulo hic et* u. 543 *prior syllaba contra regulam corripitur. cf.* Rein. a Mon. ed. lib. IV, u. 324: multa culus captat.

„Quantum perdiderim," Canclerus ait „uide," gallus.
Rex ait: „os teneas! me sine, galle, loqui.
Iam respondere sine me fallacibus eius
Uerbisque astutis quae bene nouerat hic.
O Reinarde! fides et amor famulis modo parent
Bruno, Tiberto; quam mihi fidus eras
Tiberto patet in misero Brunoque, coronam
Qui tenet abrasam sanguineumque caput."
„Rex," Reinardus ait, „mirum loqueris, mihi saluo
Si fari liceat illud amore tuo:
Si rapuit Brunus Lanfreidi mella, quid ad me?
Si Lanfreidus ei dedecus intulerit,
Ex hoc uindictam potuit sumpsisse priusquam
Fugerat in fluuium, si foret ille ualens.
Sic et in aede mea susceptus honore, quid ad me,
Uerbera si tulerit per sua furta catus?
Presbyteri mures rapturus nocte latenter
Me sine discessit et sine consilio.
Quis dubitat quin me, si uis, occidere possis,
Rex leo? siue rotis frangere membra mea
Seu cruce punire cupias aut igne cremare
Aut caecare, potens es quia, uilis ego,
Subque potestate tibi sunt animalia cuncta,
Illorum tu rex es dominusque simul.
Iusta licet fuerit mea causa nimisue nocens sim
Siue grauare uelis siue leuare, potes.
Ergo parum caeso puto quod me laudis habebis,
Irae frena tuae comprime, parce mihi!"
Astuti totiens sic ueris friuola miscent,
Discerni possunt sic sua uerba male.
Assurgunt statim ueruex Belinus et uxor

---

836. siue gallus; uide *et metro et coniunctiuo adcommodatum est.* 839. Uerbis astutis, *at opus est coniunctione copulatiua; pro* nouerit *scribendum uidetur* nouerat. 847. Si Lanfreidus dedecus: ei *inseruit M. Hauptius; possis quoque scribere:* Si sibi Lanfreidus. 860. nimisque: *scribendum est* nimisue. 861. siue grauare potes: *perperam iteratur grauandi uerbum, cum potius uerbo opus sit illi opposito; simile mendum reperies* u. 1657.

Illius Hauigis agna, loquuntur ita:
Omnes surgamus! pereat qui differat ultra,
Sit monstrata duci nostra querella cito!“
Consurgit Brunus eius natis et amicis,
Sic quoque Tibertus, sic lepus atque caper
Capraque sic et aper, porcus, sus, hinnulus, haedus,
Ceruus, equus, mulus, taurus, asellus iners,
Martarus et mygale, luter castorque, tebalus
Sphingia, mustela, damula, cuniculus,
Tiselinus coruus, Canclerus gallus anasque,
Altilis et perdix, anser et auca simul.
Hi pro Reinardo iam coram rege queruntur
In causamque trahunt hunc faciuntque capi.
Iam placitare parant, hinc indeque sunt rationes
Propositae quas non enumerare queo:
Si uellem cunctas ex ordine pandere caussas
Hinc illinc, longus taedia sermo daret.
Causaque processit potior; rex cogit in unum
Cunctos primates iudiciumque petit.
Reinardum damnat sententia iam cruce dignum
Supplicioque necis, quam bene promeruit.
Grimbertusque uidens quod Reinardus reus esset
Et condemnatus, exiit ille suis,
Nec tolerare potest quod suspensus foret ille
Ante suos oculos; dedecus esset ei.
Cum notis et cognatis abit ille, quibusdam
Ex his cara tamen mors sua talis erat.

---

874. tebalum, *ut mihi quidem persuasum est, recte censet M. Hauptius esse animal quod alio nomine sabellus uocatur*, mygale *primam syllabam habet correptam. cf.* Ruodl. fr. XIV, u. 97: Datque suductam cocco crusinam mygalinam. 875. -spingaque; sphinga *et* sphingium *simiarum nomina esse apud Plinium* h. u. VIII,72; VI. 173, 184; X, 199 *commemorata monuit me M. Hauptius, uerum tamen quod* sphingium *non nisi plurali numero positum uersui conuenit, eo ut parum certam habeam illam emendationem adducor.* cuniculum *Balduinus praua licentia sic uersui adcommodauit, ut duas priores syllabas quae iambi mensuram explent trochaeum faceret.* 878. pro *praepositio hic* de *praepositionis uice fungitur, cf.* u. 121 *et* u. 418. et u. 1571. 890. quid: quod *sententia poscit.*

Rex ut erat sapiens multosque uidens abiisse
Grimberto iuuenes, cogitat iste sagax:
Sit licet ille malus, multosque bonosque parentes
Servat, et hinc possit forte uenire malum.“
Ergo sic loquitur Brunoque lupoque catoque:
„Quare neglegitis nec properatis ad haec?
Inclinata dies est et si debeat ille
Suspendi, fieri iam mora nulla potest.
Accelerate! frutex multus quoque sepis ubique:
Qua suspendatur, ite, parate crucem.
Tanta scit ille, pedes si ternos siue quaternos
Effugiat nobis, non bene captus erit.“
Isengrinus ait: „prope crux est una parata.“
Attamen ingemuit dum loqueretur ea.
Tibertus notat et dicit: „lupe, iure dolens es,
Nam tibi Reinardus fidus amicus erat,
Tradidit ipse tuos fratres Rimum, Uidelancum,
Istos suspendi fecerat ipse duos.
Si memor istorum grates sibi reddere uelles,
Suspendendus adhuc non foret ille malus.“
Isengrinus ad haec respondet et ista profatur:
„O Tiberte loquax, scis modo multa loqui,
Et nisi deficeret restis nobis, gula sciret
Iam sua de quanto pondere cauda foret.“
Usque modo tacuit Reinardus, iam loquitur sic:
„Uos domini, poenas accelerate meas.
Tu procurasti, lupe, Reinardus tuus ille
Quod suspendetur, qui fuit ante nepos:

---

895. Grimbertus: Grimberto *scripsi, quod est:* cum Grimberto. 897. posset. 907. *Fortasse pro* dum cum *scribendum est, nam hoc uno loco* dum *coniunctio temporis rationem exprimens coniunctiuum temporis imperfecti adsciscit, at cum u. 1361 praesenti tempore praecedente coniunctiuus praesentis reperiatur nihil mutare malui. cf.* Walthar. u. 1069: Tabescebat enim genitor dum tela uideret; *et* u. 785 Et dum conspiceret, *et* u. 917 Et dum bellipotens resecaret *et* u. 1335 Et dum progresso se impenderet acrius uni. 910. *Pro* Uidelantum, *siquidem Jac. Grimmius recte coniecit*, Uidelancum *scribendum est.* 916. deficerit: *conf.* u. 1019, u. 1412. *et* Reinardi a Moneio editi lib. III, u. 1523. *et* Ruodl. fr. XV, 4.

Cum sis electus et Brunus ad hoc properate,
Una uobiscum cursitet ipse catus,
Nam funem Tibertus habet collo religatum
Quem tulit e laqueo presbyterique domo.
Scandere Tibertus bene scit, uestra sine poena
Annectet ligno concito funiculum.“
Isengrinus ait: „audi, mi Brune, coronam
O per claustralem quae tenet alta caput,
Aestimo, consilium melius nullus daret, optat
Claustralem potum, iamque paremus ei.“
„Suscipe,“ Brunus ait, „funem Tiberte, tuumque
Nunc oculum soluat iste measque genas.
Hunc suspendamus ad scandala magna parentum
Iamque luet poenas quas bene promeruit.“
„Tam laetam poenam,“ catus inquit, „non ego feci
Unquam.“ Funiculum protinus arripuit.
Hic tres primates, quos non Reinardus amauit,
Ire parant, Brunus et catus atque lupus.
Ast Isengrinus cunctis notis et amicis
Commendat, teneant hunc nec abire sinant.
Praecipue tamen uxori praeceperat Hircae
Ut semper custos cauta sit eius, eum
Per barbam teneat, prope stet nec deserat illum
Uel prece uel pretio siue timore necis.
Reinardus coram cunctis astantibus inquit:
„O lupe, da ueniam iam mihi dimidiam,
Sis licet ipse grauis, Hirce matertera, facti
Cum memor antiqui, tristia nulla dabit.
Ast consanguineum male tractas et catus atque
Brunus, uos estis iam mihi nempe graues.
Quod moriar facitis et qui me uiderit omnis
Me furem per uos aestimet atque uocet.
Ite, parate crucem; quae nunc intenditis in me
Ac de me facere concito perficite.
Nonne pater moriens liber cura fuit omni?

---

924. ligatum; *uersui subueni scribendo* religatum. 929. quod. 930. dare; t. *littera excidit.* 943. cautus . . . ea.

Nec timeo mortem, cor mihi tale manet,
Accelerate necem, pereatis, ni faciatis,
Atque pedes pereant ossaque uestra simul.“
Respondetur amen tribus his, ac prosilientes
Currunt iocundi, gaudia magna tenent.
Hos dum Reinardus currentes et salientes
Uiderat, intra se cogitat haec et ait:
„En, quales domini mihi funem nectere credunt
Ad suspendendum: non erit, ut reor, hoc.
Exultent et prosiliant; si robur habebit
Ut mihi proficiet ars mea, cuncta luent.
Malo tamen quod sint procul a me quam prope starent,
Omnibus hos aliis plus ego pertimui.
Consummare licet artes illas, ego nocte
Ante diem recubans quas meditatus eram,
Multa licet sapiat rex, iam faciam tamen ille
Quod sit deceptus fraude uel arte mea.“
Rex iubet ut perflet cornu tibicen aduncum,
Ad cuius sonitum plebs simul omnis eat.
Protinus educi miserum rex praecipit illum,
Una communes praecipit ire feras.
Ac Reinardus ait: „sine, rex, crux illa paretur
In qua suspendar, et spatium mihi da.“

**Hic uulpes publice profitetur.**

„Qui sunt praesentes cunctis mea crimina pandam,
Innocuus quod sit nemo grauatus in his.“
Rex ait: „ergo refer!“ Stat Reinardus quasi tristis
Et circumquaque prospicit hic et ait:

---

962. *Pro* dum *coniunctione, quae excepto hoc loco cum indicatiuo temporis plusquamperfecti non reperitur, malim scribere* cum; *uerum Ruodl.* fr. XVI u. 28 *leguntur haec:* Dum tam praeclarum conuinctum uiderat ostrum. *cf.* Walthar. u. 686: At dum forte nepos conspexerat hoc camelonis .... Ingemit et lacrimis compellat tristior omnes. 967. *Nisi pluribus locis* (*cf.* u. 479, u. 967, u. 1035. u. 1512) ut *coniunctio cum indicatiuo inueniretur, pronum esset scribere aut* Et, *aut* proficiat.

„Nullus in hac turba remanet quin sum reus illi;
Attamen attendat quae loquor omnis ea.
Dum mea perfudit aetas me primula, simplex
Et purus fueram; lacte remotus adhuc
Iui cum gregibus agnorum ludere pratis,
Audio balantes interimoque duos.
In primo lambo de sanguine, postea carnes
Scindo, placent, lanio taliter efficior.
Post haec ad capras pascentes cursito siluis,
Macto duos haedos hosque latenter edo.
Post haec altilia, sic ducas sic et anetas,
Quodcunque inuenio strangulo, macto, uoro.
Sic latrociniis assuescens, omnia cernens
Interimo, rapio quae superare queo.
Inde lupum iuxta Uancellas tempore brumae
Inuenio, patruum se tulit esse meum,
Et facti socii consortia fida uouemus
(Huius me potuit iure pigere rei)
Et quae furamur communia sunt, ego parua
Furor et hic magna, publica sunt tamen haec,
Nec sic publica sunt quin laetor, si mihi posset
Illorum minima cedere particula,
Et dum ueruecem rapiebamus uitulumue,
Iratam faciem praebuit ille mihi,
Tunc ego communem non audeo tangere praedam.
Conuocat hic natos et simul omne uorant;

---

984. quin sum; *quod modo de* ut *coniunctione dixi de* quin *coniunctione quoque ualet, quae sequente indicatiuo modo occurrit* u. 807, u. 984. u. 1004, u. 1154, u. 1335, *ita tamen ut, ultimum dum modo excipias, omnibus his locis saluo metro coniunctiuus substitui possit, u. 1335 autem, si uerba:* quin semper queritur *pro parenthesi habeas,* quin *aduerbium sit ac pro:* quin etiam *usurpatum.* 985. Actamine actendat. 988. pratus: pratis *scripsit M. Hauptius.* 991. leno: lanio *scripsit M. Hauptius; quod si quis* latro *malit nihil habeo quod contra dicam.* 993. edes. 994. anatas. 995. Quodque. 996. lenociniis: latrociniis *scripsit M. Hauptius.* 998. Wancellis: Uancellas *scripsi, nam in Reinardo fland. habes* u. 2103; Bi Bes:le, *itaque* iuxta *praepositio, non aduerbium est.* 1001. iuge.

Tunc mihi uix minima cecidit corrosaque costa,
Contentus minimis sic ego saepe fui.
Non tamen inde queror: cum uaccam siue baconem,
Seu magnam praedam, seu rapimus modicam,
Uxorem, septem natos uocat et uorat ille
Cuncta suis natis stoque remotus ego.
Nec defectus ad hoc me compulit ullaue causa,
Quod patruo uoui, sed mea sola fides
Huic quoque quam tenui; sed et esum, si uoluissem,
Quaesiturus eram, ne mihi deficeret.

**Hic uulpes decipit regem sic euadendo.**

Scitoque quod sim, rex, argenti diues et auri
Quod senis uicibus ferre quadriga nequit.“
Rex respondet ad haec festinans: „est tibi tantum?
Nec celato, precor, unde uenit mihi dic.“
Ille refert: „te nec celem; furatus ego sum,
Et nisi fecissem, mors tibi prompta foret,
Traditus extiteras, quod amicis dedecus esset.
Territa regina percipit haec et ait:
„Heu, mi Reinarde, quid dicis? dic celer, heu! heu!
Heu! mihi, Reinarde, dic, rogo, cuncta palam.
Adiuro te per sacra quod dicas modo cuncta
Morte mei domini cognita quae tibi sint.“
Regem, reginam deludit taliter iste
Arte sua, quod erat factus amicus eis;
Ac Isengrinum, Brunum quoque tradet, ut ipsis
Rex crudelis erit hosque necare uolens.
Potum claustralem credunt huic fundere, sed fel
His potum fundit, quod sine laude bibent.

---

1011. sic ego fui: saepe *inserui.* 1013. seu rapimus omne: *pro* omne *utrum* modicam *scribas an, ut M. Hauptius coniecit,* minimam, *parum interest, nisi quod* modicam *ad* omne *propius accedit.* 1014. uouat. *Inscriptio. nisi fallor, sic mutanda est*: Hic uulpes euadit regem sic decipiendo. 1022. tamen. 1026. amicus; amicis *scribendum esse nemo non uidet.*

„O regina," refert Reinardus et haec quasi tristis,
„Ordine cuncta tibi pandere proposui
Quamuis non monitus: si talia facta tacerem,
Cum formido mori, manibus esset onus.
Si fieri mandet rex ipse silentia, pandam
Qualiter ad mortem traditus ipse fuit.
Accusabo meos electos atque propinquos;
Inuite facio, sum quoque tristis ob hoc;
Nique metu mortis compellerer, inde silerem,
Sed timeo poenas hinc ego tartareas."
Pectore tristatur rex ac ait: „o mihi uerum
Dicis, Reinarde?" qui cito dicit ita:
„Ne me mentiri, rex, crede, miserque licet sim,
Cum uideam quod sim iam moriturus ego,
Peccasti quod tu loqueris mihi sic; an oportet
Quod dicam uerum? iam mea fata uides."
Nutu reginae, quae regis tristia fata
Pertimuit, cunctos rex reticere iubet,
Quemque loqui prohibet, donec cum pace loquendo
Dicere quae captat omnia finierit.
Iam reticent omnes; rex fari praecipit illum.
Ille dolo plenus incipit haec et ait:
„Dummodo me fari rex praecipit, omnia pandam
Qualiter ad mortem traditus ille fuit.
Huius se pudeat qui promeruit, quia nolo
Istius sceleris parcere complicibus."
Iamque notent omnes carnalem quomodo patrem
Grimbertumque simul prodit is; hocque facit,
Namque cupit quod ei credatur ab hostibus, illos
Prodere si temptet atque grauare uelit.
„Aes Ermerici dudum pater inueniebat,"
Inquit Reinardus, „sicque superbus erat

---

1041. moui; *scribendum est* mori. 1047. hinc inde; inde *e superiore uersu in hunc inrepsisse intellegens M. Hauptius illi uocabulo substituit* ego. 1048. at ait: ac *scripsit M. Hauptius.* 1052. *fortasse scribendum est:* at oportet Quod dicam uerum. 1054. facta. 1057. captare *hic et aliis quoque locis pro optando usurpatur.* 1066. Iamque. 1069. erit.

Et sic elatus, similes sibi despicit omnes,
Aes illi quoniam corda tumere facit.
Misit ad Ardennam Tibertum quaerere Brunum,
Multa per hunc mandans uerba salutis ei,
Inter quae mandat quod iam subeatur ab ipso
Flandria, si cupiat regis honore regi,
Si rex esse uelit. Brunus laetatur ad ista
Nuntia, rex quoniam gestiit ille fore.
In Uasiam uenit a patre receptus ibidem;
Eius in aduentu gaudet et ipse pater,
Grimbertumque uocant Isengrinumque, fuisse
Istorum quintus dicitur esse catus.
Hi simul ad uillam properant quae dicitur Ifta,
Inter Gandauum nunc Uasiamque sita,
Tempore nocturno seruant ibi parliamentum,
Mysterium faciunt consiliumque suum,
Conspirant, iurant inibi supraque coronam
Hoc Isengrini constituere ratum.
In solio regni Brunus statuetur ab ipsis
Rex et Aquisgranum regia sceptra geret;
Si rex seu reliqui de regis parte uenirent
His opponentes, uis adhibenda foret,
Nam pater hos censu remoueret, copia cuius
Magna patri fecit omnia posse fidem.
Omnia praenoui, sed uobis quomodo, dicam:
Grimbertum laetum contigit esse mero:
Cum muliere mea decurreret ille per agros,
Ut temulentus erat, omnia dixit ei;
Illa fidem dederat quod eum non proderet atque
Omnia celaret, se reticere uouens.

---

1072. Grimbertum; Tibertum *scripsi Reinardum flandr. secutus.* 1073. hoc. 1074. Inter que mandat huic: *aut scribendum esse* Indeque *(quod mihi quoque uisum erat) aut* huic *delendum monuit me M. Hauptius; quod si quis non* huic *deleat sed* iam, *nihil contra dicam.* 1075. regi *quantum uideo uerum esse nequit; poterat scribere Balduinus:* honore frui, *at, nisi fallor, scribendum est:* regis honore *(h. e. regio ornatu)* tegi. 1082 Ista; *si ad exemplar flandricum respicis, scribas oportet:* Ifta. 1087. rarum: ratum *scripsit M. Hauptius; cf.* u. 1797. 1093. pater.

Ad me quam primum uenit uulpecula coniunx,
Cuncta mihi narrat ordine dicta sibi,
Inter signa refert uerissima, quae bene noui.
Illis auditis frigida corda stupent
Horror et inuasit me, iam coma uertice surgit,
Namque metu magno mens mea contremuit
Ranarumque memor, quae dudum libera turba
Nunc trepidant, metuunt alite rege dato:
Libera iam dudum sibi postulat a Ioue regem
Clamans cum rauco gutture rana loquax.
Auditis precibus datur ipsa ciconia ranis
Rex, has inuentas quae uorat atque necat.
Perpetuoque metu quae dudum libera uixit
Sic sub rege suo uiuere rana timet.
Tunc timui simile nobis contingere posse,
Curas pro nobis tunc ego sustinui;
Tali pro cura me perdere quaeritis omnes:
Gratia pro meritis redditur ista mihi!
Ast ego cognoui Brunum tumidumque malumque
Crudelemque feris continuumque dolis,
Ast ego cognoui regem placidumque piumque
Mansuetum, dulcem propitiumque feris.
Talia prodesse nobis non cambia rebar:
Annihilare uolo cuncta, laboro nimis
Ut rex permaneat in honore suo, sacra semper
Uotis et precibus numina posco piis.
Certus eram semper, si gaza patri remaneret,
Consummare potens haec sua uota foret.
Hanc ergo patri furari saepe probaui,
Insidias statuens, hanc reperire uolens:
Si nemus aut agros, si sursum siue profundum,
Si loca uasta colit ruraue siue lacus,
Si uillas intrat, sum custos nescius illi,
Ad quemcunque locum uult properare, sequor.

---

1104. nam: iam *uerum uidetur*. 1116. Tale. 1118. malum. 1127. hac sua uota forent. 1128. *probandi uerbum apud nostrum fere idem significat quod* conari *uel* experiri, *ut* u. 318: fata probare licet. 1130. surum.

Ast infra filicem cum quondam mane iacerem
Pronus humi tectus meque latere uolens,
Se leuat ex antro genitor collo tenus illuc
Ac huc aspiciens; gaudeo tale uidens
Ac gazam spero, cum talia signa uiderem
Illic quae fecit nescius ille mei.
Cum caput inflectat huc illuc respiciendo
Et nullum credat affore, prosilit hinc,
Exiit hinc saliendo diemque salutat, et artes
Hic doceor quarum nescius ante fui.
Obstruit hoc antrum cum puluere signaque planat
Ille pedum cauda, sic quoque uerrit humum.
His factis abiit ad uillam de prope stantem,
Qua pingues gallos quaerit et altilia.
Detegor, ad lustrum propero genitore remoto,
Illud et inuenio, iam bene nosco locum;
Ex antro terram moueo pede, iam patet, intro,
In quo thesauri copia magna iacet.
Credo quod astantum non ullus tot simul aera
Uiderit, inuenta quanta fuere mihi.
Nec mora, non parco quin nocte dieque laboro
Inuentas gazas hoc remouere loco,
Inque locum fidum plus notum plusque placentem
Has muliere mea condere nempe paro,
Aeraque transferimus sine carris atque quadrigis,
Donec sunt apto condita cuncta loco.
Interea Brumus cum complicibus quid agebat
Nunc audite, palam cum recitare uolo.
Mittit legatos, spondet stipendia cunctis
Qui pugnare uelint et sua castra sequi.

---

1144. cum puluere, *cf.* u. 1596. 1148. Detego. 1152. ero. 1156. In quo locum fidum plus uotum. 1158. Eraque transferimus sum sineque quadrigis: sine carris atque quadrigis *scripsit M. Hauptius. quae ad uerbum exprimunt* Rein. Flandr. u. 2392 *in editione Ionckbloetiana:* Sonder kerre ende sonder waghen. *Sin autem illud* sum *uel potius* um *mutilati cuiusdam uocabuli reliquias esse existumes, conicias scripsisse Balduinum:* umeris sineque quadrigis, *ut uersus sit spondiazon, qualis est* u. 253 *et si quidem recte emendaui* u. 191. 1161. audire.

Et legatus in his Bruni genitor meus ibat;
Conuocat hic multos undique scripta ferens:
Uestfalos cum Saxonibus uocat atque Bohemos,
Albia quos nutrit, circuit atque uocat,
Omnes inter eam uocat hic Samaramque manentes
Ignorans fures aera tulisse sua,
Ex his tres obolos quod non reperire ualeret,
Quamuis his tota Flandria posset emi.
Hic redit et Bruno iam nuntia laeta remandat
Et multos pronos nuntiat ille fore,
Se quoque uenturos spondet in uere futuro
Et semper pronos eius in auxilium.
Narrat se poenam atque metus multos tenuisse
Saxonibus, quando per sua lustra meat,
Ipsum nam canibus uenatores agitabant;
Hos tamen euasit artibus ille suis.
Unguibus ac ore saeuos rabidosque ducentos
Milleque uenturos nuntiat ille lupos
Uulpibus exceptis ursis taxisque catisque.
(Qui ueniunt numerus non bene scitur ab his)
Uigintique uolunt stipendia ferre dierum:
Tunc se uenturos protinus esse uouent.
Et quia furabar gazas patris, omnia per me
Quae proponebant annihilata manent.
It pater ad gazas, confractum repperit antrum;
Has quoque sublatas dum uidet esse, dolet
Et prae tristitia se iam suspenderat ille.
Bruni cassatum sic perit auxilium.
Iamque notato meum casum: Brunusque lupusque
Pro cunctis seruant regis amicitiam

---

1166. Westfales. 1168. Scecanamque: Sequana *cum dactyli mensura comprehendatur hic tribreuis est; sed quoniam* u. 1289 Sequanam *habes uera syllabarum quantitate*, u. 1168 *quin* Samaramque *uel* Suminamque *scribendum sit nequaquam dubito*, *cf.* Rein. flandr. u. 2422 Tusscen dier Elve entier Somme. 1172. remandans. 1174. *cf.* u. 1356 et u. 1802, Ruodl. fr. II, u. 120. 1175. eius mihi: in *scripsit M. Hauptius*, *cf.* u. 574. 1176. penasque; poenam atque *scripsit M. Hauptius*. 1180. rapidosque.

Et sunt iam regis de consilio potiores,
Postponor, iam sum uilis habendus ego!“
Rex et regina cupientes aera uocabant
Hunc ad consilium sicque loquuntur ad hunc:
„Da, Reinarde, tuas nobis gazas!“ ait ille:
„Mirum, rex, loqueris talia nempe petens.
Caedere me quaeris, ut ego gazas tibi tradam?
Quod faciam tam sum non ita stultus ego.“
Et regina refert: „non sic erit, immo tibi rex
Indulget culpas, sis et amicus ei,
Sis prudens uitansque malum, sis a modo fidus,
Sisque per hoc seruans regis amicitiam.“
Hic ait: „annuo sic: dum rex mihi probra remittat
Et modo permaneam factus amicus ei,
Hic quoque coram te uoueat mihi, sic ego cunctas
Illi iam gazas quas petit ipse dabo.“
„Huic ego si uellem iam credere,“ rex ait, „essem
Iam deceptus ego fraude uel arte sua.
Huic sunt innata mendacia, furta, rapinae
Debeat ut uerbis credere nemo suis.“
Ast respondet ad haec hera: „rex, non est ita, quamuis
Perfidus ille fuit, a modo fidus erit.
Numquid ut audisti Grimbertum proditione
Hic iam cognatum prodidit atque patrem?
Quod non fecisset, si iam nocuus foret ille,
Hanc aliis potuit imposuisse feris.“
Rex respondet ad haec: „dum tu mihi consulis ista,
Utar consiliis nunc ego, genta, tuis.
Reinardum soluam nunc tali conditione,
A modo quod uiuat fidus et absque dolo.

---

1211. tua. 1212. innota. 1216. Numquid *hic aliisque locis idem significare uidetur quod* nonne, cf. u. 1230, u. 1323. *neue offendaris* ut *coniunctione non suo loco posita, alterum eiusdem coniunctionis licentius collocatae exemplum habes u. 1656:* Numquid ut audisti discedens rege rogabar, *h. e. Numquid audisti ut; quamquam utroque loco* ut *coniunctioni* et *substitui ac post* audisti *interrogationis signum poni posse non infitior.* 1217. prodidit: tradidit *scripsisse poetam suspiceris.* 1221. geita: genta *scripsi, cf. Diezium in lingu. rom. gloss. s. u. genta. et Rein. flandr.* u. 2508: Doe sprac die coninc: „Gentel vrouwe!“

Sed sciat ulterius si perfidus inueniatur,
Hic omnesque sui morte feroce cadent.“
Reinardusque uidens regem falli bene posse,
Dixerat: „hoc laudo, rex bone, sicque uolo.“
Coram regina rex omnia facta remittit
Reinardo, quae iam fecerat atque pater.
Gaudet Reinardus, quid mirum? numquid et illum
De saeua morte conualuisse uides?
Indultae culpae Reinardo quando fuerunt
Exultat, regi talia dicit ouans:
„Rex et regina, grates uobis ab honore
Reddere non ualeo quem mihi feceritis.
Non illi sub sole manent quibus a modo plus quam
Annuo iam uobis, aera tenete mea!“
Arripiens stramen regi porrexerat illud.
Stramine porrecto talia dicit ei:
„Quas Ermericus diues possederat olim
Accipe, rex, gazas!“ dat quoque stramen ei.
Accipiens stramen rex grates reddidit, ut si
Totius hunc mundi constituisset herum.
Cum sibi tam pronum regem cognouerat, illa
Hic ait: „audi, rex, dictaque mente nota!
Sol qua parte uenit dum taurus detinet illum
Hospitio, siluam Flandria fine tenet:
Dicitur Hulsterlo, puteus quoque de prope dictus
Krikenput, rarus hunc habitator adit.
Desertus locus ille nimis: non incolit illum
Quadrupes aut uolucris aut homo siue fera.
Omnis iam uolucris trepidat dum transuolat illum,
Hic pernoctare fit metus huic et onus.
Bubo sed Ascalaphus, Hecates temerarius index
Nidis oua fouens incubat et colit hunc,

---

1227. dixerat; *cf.* u. 91, u. 141, u. 151, u. 760, u. 801, u. 813, u. 942, u. 968, u. 987, u. 1190, u. 1715. 1231. uidens: uides *requiritur.* 1234. hoc ab honore: hoc *deleui; de* ab *praepositione cf.* u. 1439 *et* u. 1440. 1237. tenente. 1238. Accipiens: Arripiens *uerum uidetur.* 1251. Quadrupes *ultimam syllabam habet praua licentia correptam.* 1253. Pernoctari. 1254. Escalapus . . . iudex: *cf.* Ouid. Met. V, 589 sqq.

Noctua Nyctimene dudum uirgo, uolucris nunc,
Deridens alias incolit ista loca:
Dicitur illa patris temerasse torum, tenebrisque
Ut celet uitium nocte uolare studet;
Congruit ambobus desertus sic locus iste,
Ista quod incesta, proditor iste fuit.
Et sic exosi cunctis auibus tenebrarum
Tempora semper amant, luce uolare timent.
Non ita fidus erit aliquis quem mittere cures,
Sed cum regina tu loca dicta pete.
Stare scias alnos septem puteum prope dictum:
Illam quae puteo proxima stabit adi,
Terram subter eam tibi quam praediximus alnum
Transfode, nec dubita, plurima gaza iacet;
Hic Ermerici sellae, gemmae, diadema,
Regia sceptra iacent, aurea uasa simul.
His, reor, inuentis dices: „Reinarde fidelis,
Aera sub hoc musco condere certus eras!
Nunc ubicunque manes, sit honor tibi, uita salusque,
Prae cunctis aliis tu mihi fidus eras!“
Rex ait: „o Reinarde, tuas sine te modo gazas
Nec quaesiturus sum nec iturus ad has:
Tu mecum uenies et ad alnum me modo ducas
Aera iacent sub qua, nescio nempe locum,
Norim Parisios et Aquisgranum recitare:
Dic si uicinus est locus urbibus his.
Krikenput fictum, sicut reor, est modo nomen,
Nomine me super his fallere quaeris eo.“
Non bene conuenjunt Reinardo regia uerba,
Et uelut offensus talia dicit ei:
„Iam prope, rex, nunc es uelut et Colonia Maio

---

1256. uictimine: *cf.* Ouid. met. II. 589 sqq. 1257. *pro* deridens *scribendum uidetur* deuitans. 1261. Istaque incesta: Ista quod *scripsit M. Hauptius.* 1269. Nec dubita, cf. u. 1023 Nec celato, precor; et Rein. a Mon. ed. lib. I, u. 354: Nec, quia uado, dole. 1273. musto; *pro* certus *fortasse scribendum est:* cautus. 1277. sum sic nec: sic *deleui.* 1278. *aut* uenias *aut* duces *scribendum esse apparet.* 1280. recitari. 1286. nunc es uelut ex Colonia Maio; ex *praepositionem coniunctioni copulatiuae cedere necesse est.*

Et quantum Pascha distat ab Italia,
Ne credas Ararim tibi quod iam nomino Tigrim
Seu sit pro Scalda Sequana dicta tibi,
Iam super his ducam testes ego sufficientes.“
Clamat cum magna uoce: „Cuarde, ueni!
Ad regem uenias!“ mirantur quid uelit istud
Quae prope sunt stantes respiciuntque ferae.
Ad regem properat trepidatque timore Cuardus,
Et Reinardus ait: „dicque, Cuarde, quid est
Quod trepidas? an frigus habes? nolito timere,
Nullum nempe malum rex cupit, immo bonum,
Perque fidem, per eam quam reginae quoque debes
Te de quaerendis dicere uera monet.“.
„Iam pro pelle mea perdenda non reticebo
Quin monitus dicam uera,“ Cuardus ait.
Iam Reinardus ait: „scis Krikenput ubinam sit?
Quis locus aut quae sit terra modusue loci?
Singula dic!“ lepus inquit ad haec: „iuxta nemus ille
Est locus Hulsterlo, quem fugit omnis homo.
Quadrupedes aliudue pecus puteum fugiunt hunc
Desertusque nimis est locus, absque bono.
Hic mala multa tamen, frigus sum passus et aestum
Atque per haec dicti sum memor usque loci.
Hic percussuram falsi numismatis olim
Tibundus Catulus fecerat aere sagax
Et cum complicibus hominum consortia fugit,
Falsos denarios hic fabricare studens.

---

1298. Quamque fidem per eam si: Perque fidem, per eam quam *scripsi, libenter hanc emendationem, si quis meliorem obtulerit, dimissurus; an credamus scripsisse Balduinum haec:* Nullum nempe malum rex cupit, immo bonum: (Hancque fidem peream ni reginae quoque debes) Te de quaerendis dicere uera monet. *hancque fidem (uel si mauis hance fidem), scilicet: ut uera dicas.* 1299. mouet: *cf.* Rein. flandr. u. 2633: dies mane ic u. 1302. ubi sit: ubinam sit *scripsit M. Hauptius.* 1305. Ysterlo. 1308. aestus. 1310. percùsserâm: percussuram *scripsit M. Hauptius*, *quae emendatio facilior est quam quae mihi in mentem inciderat;* percussor erat . . . fecerat aera sagax. 1313. denarios *breui antepaenultima, ut* Ruodl. fr. III, u. 314: Quorum uasorum rex unum denariorum Replet.

Hoc erat antea quam fueram socius tibi, Rine!
Ac sueti fuimus nos habitare scholis.“
Tunc Reinardus ad haec ait: „o mi Rinule, pulcher
Et dilecte canis, sum memor usque tui!
Iam praesens scires per rhythmica dicere uerba
Quod nunquam regi perfidus ipse fui.
Non plus uult a te rex quaerere: uade, Cuarde,
Ad famulos socios iamque redito tuos.“
Consilio regis lepus it. Reinardus ad illum:
„Numquid,“ ait, „tibi, rex, uera locutus eram?“
Rex inquit: „Uera iam sunt tua uerba; rogo te,
Indulge mihi quod non tibi credideram.
Consulo quod uenias alnumque petas puteumque
Sub qua quam dederas condita gaza iacet.“
Ille refert: „mirum loqueris modo, rex; habitare
Si tecum possem, laetus et ipse forem,
Et sine peccato conuersari modo possem
Tecum, nam fore me nunc anathema scias:
Cum lupus intrauit monachus quasi relligionem,
Pascere quem modici non potuere cibi,
Atque cibus quo sex monachi pascuntur eundem,
Quin semper queritur, non satiare ualet,
Sicque uidens illum macerari, debilitari
Utque nepos doleo sumque misertus ei:
Relligionis eum suasi dimittere cultum
Et bannus papae me ligat ergo grauis.
Quare pro uenia cras mane uolo proficisci
Romam, transire tunc ego capto mare

---

1315. Assueti . . . scolis; *copulatiua coniunctione, nisi fallor, opus est, uerum* habitare scholis *quid significet nescio; fortasse legendum est* simul. 1316. mihi. 1318. richmica. 1327. dederis. 1331. anathema *paenultima syllaba perperam producta cf.* 1350. 1332. intrauerat: *aut cum M. Hauptio scribendum est* intrauit, *aut* intrarat. 1336. macerari *prima syllaba breui; pronum est scribere:* macrescere, *at uide* Walthar. u. 1344: Et triplex inerat cunctis maceratio leti, et Iengrimi u. 684: Aut macerare cibis. Lupar. u. 73: quae dederas, maceratus. 1337. misertus ei, *ut* u. 52: Misereri te rex posco meis dedecorique meo. *cf.* Ruodl. fr. VI, 7: Christe pie, mihi ualde reo miserere. Poenit. u. 251: quod natis matre relictis . . . misertus eras. 1341. ergo.

Nec rediturus ab hinc donec purgatus ab omni
Peccato tecum, rex, habitare queam.
Iam conuersari me tecum dedecus esset
Talem qualis sum; me Deus inde iuuet!“
Ac rex inquit ei „si te sententia talis,
Posco, diu teneat.“ Alter ad ista refert:
„Elapsi tres sunt anni quibus inde ligatus
Sum de iudicibus atque grauatus ego.“
Rex „Reinarde,“ refert, „tecum cum sis anathema
Me conuersari non meus esset honor,
Sed lepus aut alius mecum transibit ad aera,
Cum fodïenda loca sint quibus illa iacent.
Uade ergo quo te possis absoluere banno
Ut nobis liceat tunc habitare simul.“
Hic ait: „in mane primo Romam proficiscor,
Donec et absoluar non rediturus,“ Ea
Iam respondet ad haec rex: „te grauat ardua causa
Te deus emendet teque redire sinat.“
His ita finitis rex scandit ad ardua sedis
In qua solus stat dum placitare uelit,
Proque tribunali resident animalia cuncta;
Nata prout fuerant, gramine, sede sedent:
Sede humili uulgus sedet, a natalibus ortae
Summis sede ferae nobiliore sedent.
Stat prope reginam Reinardus, sicque profatur
Rex: „audite ferae, uulgus et ingenuae,
Magnae cum paruis, primates atque tribuni,
Quae uobis mando, quae uolo percipite:

**Hic rex praecipit Reinardum honorari.**

En Reinardus adest, cui reginae rogitatu
Cum uita membra libera cuncta dedi.

---

1349. de iudicibus; *cf.* u. 753. 1338. conf. u. 503: Intrare suadet et ipse catum. 1361. quo. 1362. residens. 1368. Magni: magnae *uerum uidetur.* 1370. pro rogatu; *haec metro repugnare apparet, quare, cum in substantiuo composito ferri quodam modo possit falsa illa* pro *praepositionis mensura, aut* prorogatu *scribendum esse aut* rogitatu, *recte me monuit M. Hauptius.*

Amplius ex eius causis audire querellas
Nolo, nec causis plus placitare suis,
Illi quapropter semel ac iterum, uice trina
Praecipio treugas, quas fore mando ratas.
Eius et uxori, natis, ubicunque reperti
Sint uobis, et ei uos facitote bene,
Nam de nequitiis resipiscens a modo iustus
Et fidus cunctis uouerat ille fore;
Cras quoque cum baculo promisit sumere peram,
Pergere uult Romam, transiet inde mare
Nec regressurus donec mundatus ab omni
Sorde sua fuerit nequitiisque suis.“
Cum praetermittit leges ut dona sequatur
Deuiat ex facili curia iustitia.
Sic rex promisso fallaci lusus et astu
Iam condemnatum soluerat atque reum.
Audiit hoc coruus Tiselinus et ipse uolauit
Quo tres hi socii constituere crucem.
„Hic miseri quid statis?“ ait, Reinardus in aula
Regis principibus celsior omnibus est.
Indulsit cuncta rex illi crimina uosque
Multis criminibus prodidit ille duci.“
„Corue, reor, mentiris,“ ait lupus et celer ille
Mox abit et Brunus concomitatur eum.
Tibertus nescit quid agat multoque timore
Territus alta crucis scandit ibique sedet:
Iam de pelle timet perdenda, lumen ademptum
Pro nihilo uellet iam reputare suum,
Dum modo Reinardo pacaretur, quia fraudes
Nec non nequitias illius ille timet.
Isengrinus adest et prosilit impete magno,
Coram rege loquens uerba superba nimis.
Sic quoque Brunus ait: mox rex irascitur illis
Ac uinclis trudi praecipit atque capi;

---

1379. uouerit: uouerat *scripsit M. Hauptius.* 1381. tanseat: transiet *scribendum uidetur.* 1387. soluerit: soluerat *scripsit M. Hauptius.* 1398. lumine. 1402. impetu: impete *scripsit M. Hauptius.* 1405. Hec uinculis; ac *scripsit M. Hauptius.*

Tractantur foede canis ut lymphaticus ambo,
Uinclis truduntur, carceris ima petunt.
Curia dona sequens ligat innocuos nocuosque
Soluit, et hoc praesens pagina nempe docet,
Nec contentus adhuc his nunc Reinardus et ipsos
Fraude grauare magis nititur ipse sua.
Sic regi loquitur: „cum deficiat mihi pera,
De Bruni pelle fac mihi fiat," ait,
„Ad longum latumque pedis." Rex decoriari
Particulam pellis praecipit atque dari.
Reginae tacite Reinardus in aure susurrat:
„Uester ego, domina, sum peregrinus," ait;
„Per siluas, montes, colles, praerupta carere
Non possum caligis nudus iturus ego,
Et quia sic remanent, soleas fac anteriores
Aptas nempe mihi det lupus ipse duas,
Fac Hircen amitam soleas dare posteriores,
Et de iure potest, iam memor huius ero."
Et regina refert: „tu non, Reinarde, carere
His potes, ergo sis certus, habebis eas,
Hi quamuis mortem paterentur decoriati."
Rex ergo fieri protinus ista iubet.
Ossa lupi iam cum pede decoriantur utroque,
Nec tamen os aperit, membra nec ulla mouet,
Sed sanguis nimius fluit inde, nihil quoque sanum
Inter crura manet ipsius atque pedes,
Iam lupa procumbit in gramine, posteriorum
Ungues et pellem perdidit ipsa pedum.
Illa licet tristis, Reinardus gaudia ducit
Pectore cum laeto sicque profatus ait:
Dulcis et o cara matertera! carior extas
Cunctis cognatis, sum quoque iure tuus,

---

1407. uinculis. 1410. at ipsos. 1418. per rupta. 1420. remaneus. 1422. amicam: *lupa etsi* u. 948 et u. 1436 *matertera audit, hic tamen et* u. 1636 *et* u. 1649 amitam *appellari se patiatur necesse est, in tribus enim his versibus metrum respuit* amicam. 1426. decoriari. 1430. nihilque sanumque: nihil quoque sanum *scripsit M. Hauptius.* 1434. licet: *fortasse* iacet *scribendum est.* 1437. tuis.

Nam pro me passa fueras tu tristia multa;
De cunctis tristor, ast ego laetor ab his,
Namque tuas soleas ab amore tuique fauoris
Causa portabo, tu minus ergo dole:
Tu partem capies cunctorum nempe bonorum
Quae soleis passus sumque lucratus ego.
Taedeat ergo minus huius te, cara, doloris
Es pro cognato quem modo passa tuo."
Uix ualet illa loqui, sed quid respondeat audi:
„Uindictam de te det Deus ipse citam!"
Ast Isengrinus, Brunus quoque subticuerunt,
Namque graui laesi debilitate iacent.
Non euasisset si iam Tibertus adesset
Proque suis factis saucius ipse foret.
Iam socer Alcyones lacrimis Ceyca profusis
Deplorans oritur, noxque peregit iter:
Solis equos horae iungunt ad plaustra ministrae,
Sol exit surgens ex oriente citus.
Iam Reinardus adest soleis indutus inunctis
Quas dederant illi iam lupus atque lupa.
Primates procinctus adit regemque salutat
Reginamque simul, sicque profatur eis:
„Iam uester peregrinus adest et abire paratus:
Peram cum baculo uos facitote dari."
Rex accersiri Belinum praecipit illuc.
Accersitus adest, rex quoque dicit ei:
„Nunc altare para, Reinardo cum baculo da
Peram, namque suam captat adire uiam."
Et Belinus ait: „iam legis ego faciam nil,
In papae banno se fore namque refert."
At rex: „praelati dicunt, quacunque grauatus
Sorde licet quis sit, crux redimit tamen hanc;"
Si cruce signatur terram transgressus ad almam,
Omnia donantur sordeque liber erit."

---

1438. fueris; *recte M. Hauptius aut pro* nam cum, *aut pro* fueris fueras *scribendum censet.* 1443. passus *quamuis mihi sit suspectum, quod substituam non habeo.* 1446. responderat: respondeat *scripsit M. Hauptius.* 1462. ille.

Belinus respondet ad haec: „ablata tamen, rex,
Debent restitui, lex quia dicit ita:
Peccatum remanet nisi furtum restituatur,
Ablatum furtum deuorat omne malum.
Ergo Reinardo, quia fur est praedoque iuris,
Nil faciam, cum sic asserit esse palam,
Erga praelatos nisi me seruaueris horum
Indemnem.“ Sed rex quem mouet ira, refert:
„Malo quod pereas! piget et me te rogitasse,
Nec te per mensem quid rogitare uelim.“
Offensum regem dum Belinus fore nouit,
Iam parat officium concelebrare suum;
Quo facto peram Reinardo cum baculo dat,
Baunitum tamen hunc nouerat ante fore.
Iussum primatum notat hoc praecedere iusso
Saepe Dei, tamen hoc scandala magna parit.
Exemplum Belinus erat, qui regis obedit
Iussis, sed iussum praeterit ille Dei.

**Hic Reinardus flens ualedicit regi.**

Iam praecinctus adest Reinardus abire paratus.
Flens regem cernit ceu foret ille dolens,
Nec dolor ullus erat, aut quod quos deserit omnes
Non grauat ut Brunum fecerat atque lupum.
Ast ait ad cunctos: „ut uestri me memorari
Uultis, sic memores uos simul este mei!“
Tardus turbat eum discessus, nam reprehendi
Credit, ut est facti conscius ipse sui.
Hinc ait ad regem: „mihi uestra licentia detur,
Ire uolo.“ Sed rex talia dicit ei:

---

1476. perdoque. 1477. asserit: asserat *ueri simile est.* 1478. Ergo. 1487. scandula magna perit. 1491. seu. 1492. deserat; deserit *scripsit M. Hauptius.* 1494. memorari: *cf.* Rein. Mon. lib. IV, u. 835: nostri memorabere. *et* Ruodl. III, u. 252: miserae matris memorare, *et* Ruodl. III. u. 453: est fidei memoratus *et Lachmannum ad Lucret. lib. II. u. 112.*

„Me, Reinarde, grauat quod festinans ita uadis,
Nam tua scito mihi iam mora grata foret.“
Hic ait: „o bone rex! me iam nolito morari,
Nam bona non debent facta morata fore:
Me, rex, ire sinas!“ „Plus te non quaero morari“
Rex inquit, „pacis tu modo uade uiam.“
Rex cunctas iubet ire feras educere coetu
Reinardum magno, qui simul ire parat.
Omnis turba ducis praecepto paret et exit
Ni soli capti, qui retinentur ibi.
Iam peregrinus abit, peram gestat baculumque
Quattuor in pedibus calciamenta tenens.
Tam mire graditur ut credo quod omnis euntem
A risu nequeat se retinere uidens.
Colla gerunt peram, baculus quoque de prope pendet
Huncque peregrinum calciamenta docent.
Laetaturque uidens quod talis turba ferarum
Mitis ducit eum, quae modo saeua fuit.
Ille sed in pedibus stat posterioribus eius
Et ueniam grates omnibus orat agens,
Hisque ualete ferens ad regem talia fatur:
„Mecum, rex, noli longius ire, bone!
Impensis a te mihi reddo bonis tibi grates,
Undique me famulum noueris esse tuum.
Ne capti fugiant caueas, fierent fugientes
Nam tibi peiores pestiferique magis.
Ergo redi, bone rex, ualeas, in pace morare.“
Sicque ualefacto rex cito regreditur.
Flet quoque Reinardus fletusque sui piget omnes,
Sic tristi uultu gaudia dissimulat,
Belino, cunctis abeuntibus atque Cuardo
Blandus adulando talia fatus ait:
„O mites dulcesque ferae mala nulla scientes!
Uos ambos mecum longius ire rogo.
Est graue de uobis mihi iam discedere, nunquam
Uos me laesistis quid faciendo mali,

---

1510. Nam. 1512. miro.

Atque feris cunctis uos mites atque benigni
Estis nec uobis mitior ulla fera est.
Felix est uestra uita, quia uiuitis olim
Sicut ego uixi, quando reclusus eram:
Fructibus et herbis pasci, non carnibus uti
Quaeritis aut pane deliciisue cibi.“
Talibus hos uerbis Reinardus lusit et arte
Ambos, quod secum longius ire parant.
Ad Malepertusum ueniunt portaeque propinquant,
Ac Reinardus eis talia uerba dedit:
„Stes, Beline, foris subeamque domos, lepus intret
Mecum progrediens, huncque rogare uelis
Natis uxorique meae solatia donet,
Quando relicturus hos abiturus ero,
Nam tristabuntur multum. Belinus ad ista
Sic ait: „hoc facias, care Cuarde, rogo.“
Reinardus uerbis sic dulcibus allicit illos,
Quod tandem secum lustra Cuardus init.
Sic et adulantes dum dulcia uerba loquuntur
Simplicium totiens corda mouere solent,
Humanas laudes ut quaerant de benefactis
Et meritum perdant in laqueumque cadant.
Dum sic Reinardus antrum subit atque Cuardus,
Hermelina suis hoc iacet ipsa satis,
Haec dolet atque timet, nam Reinardum fore credit
In cruce suspensum, uiuere nescit eum.
Hunc sed quando uidet peram baculumque ferentem,
Indutum soleis, mira uidentur ei.
„O dilecte,“ refert, „iam tu, Reinarde, mihi dic
Qualiter effugiens tu modo liber ades.“

---

1538. *Breues syllabae cum in caesura pentametri et in hexametri penthemimeri frequentissime apud nostrum producantur, in hephthemimeri hoc uersu et u. 1174 exceptis illa licentia non admittitur.* 1541. tibi. 1545. Ac *deest; possis quoque scribere cum M. Hauptio* et *uel* tum. 1549. hoc. 1559. *Solet noster ablatiuum casum ponere pro* cum *praepositione cum ablatiuo coniuncta, cf.* u. 132, u. 146, u. 252, u. 321, u. 870, u. 889, u. 895, u. 1015, u. 1096, u. 1157. 1564. nam: *scribendum* iam *uel* nunc.

„Captus," ait, „fueram, me rex dimiserat ire,
Debeo nam fieri iam peregrinus ego,
Ast Isengrinus, Brunus pro me retinentur
Obsidio, leporem reddidit hunc mihi rex,
Meque grauasse refert illum questumque fuisse
Rex pro me primum: iam sua facta luat,
Subque fide tibi qua teneor, uerum tibi dicam:
Hic non euadet sed modo morte cadet."
Audiit ista lepus, timet ille paratque reuerti.
Sed Reinardus ei praecipit ipse uiam,
Impetit hunc, tenet hunc, lepus acclamat: „peregrinus,
O bone Beline! me necat iste, iuua!"
Deficit ista tamen cito uox, quia strangulat illum
Reinardus mordens. „Nunc comedamus," ait.
Conuocat hic catulos ad edendum cum muliere.
Conueniunt et edunt atque cruore bibunt,
Morte dolent minimum leporis. Uulpecula dicit:
„Rex ualeat nobis munera qui dedit haec
Et sic prouidit nobis super his puerisque
Hunc pinguem leporem qui dedit atque mihi."
Tunc Reinardus ait: „nobis bene fiat in illo,
Et nobis leporem tradidit ipse libens.
Talia dona mihi dare iam cupiet, retinere
Pro marcis mille quae tamen ipse neget."
Hermelina refert: mihi dic quae munera sunt haec?"
Ille refert: „funis sunt, baculi quoque tres."
„Quid uult ex illis?" ait haec, respondet is „audi:
Ac attende, palam singula dico tibi:
Illorum duo sunt postes, sed tertius horum
Est trabs, ex illis, conspice, crux fit ita;
Me cum funiculo suspendere quaerit in illa.
Si sapiam, cupiam quo latitare queam

---

1568. Brunusque: que *delendum esse apparet; neque quicquam sane apud nostrum frequentius est quam eius modi asyndeta conf.* u. 620. 1570. gnasse. 1581. cruore *h. e. de cruore ut* u. 101: Non partiris ei pladis *(siue platesiis. cf. Duc. sub hac uoce)* bigis tibi iactis, *h. e. e pladis de bigis tibi iactis.* 1587. *Pro* Et *malim scribere* Ut. 1589. Pro mille marcis: mille *in caesuram uersus procedere necesse est.* 1593. At.

Ac intra biduum fugiam, minus ipse timebo
Quo regis iussum quam facit ipse meum.“
„Qualiter esse potest istud mihi dic“ ait ista;
Ille refert; „iuxta iam loca uasta scio,
Myrtus, longa filix sunt hic fragilesque myricae
Ac densi frutices et bonus accubitus,
Copia nobilium quo noscitur esse ciborum:
Anser, anas, perdix et fasianus adest,
Huc, Hermelina, si mecum tendere captes,
Possumus hic magnis uiuere deliciis.
Per multos annos nos possumus hic habitare
Et sciri nullis in latebrisque fore.“
Hermelina refert: „sicut reor, haec, quia terram
Nunc abiurasti, perdita poena foret:
Ad terram sanctam iurasti tendere, peram
Cum baculo gestas, ut peregrinus ades.“
„Consultus prudens,“ ait hic, „mi dixerat olim,
Non fore seruanda foedera facta metu:
Quae sic iuraui sic territus haec reprobare
Nunc uolo, nam non est firma coacta fides,
Et quamuis abeam, mihi non prodesse ualebit.
Ergo mihi nunc est gratior ipsa mora.
Regi promisi nequeo quas soluere gazas,
Sic mihi mendaci plus inimicus erit,
Et cum deceptum se per me nouerit esse,
Ut reor, optabit me cruciare magis,
Sic latitare magis mihi quam prodesset abire,
Nam non discedens ipse redire queam;
Perque meam barbam Brunus, catus aut mihi carus
Grimbertus non me amplius allicient

---

1598. Ac infra: intra *scribendum uidetur.* Ac *coniunctio quae Probo auctore breui syllaba constat nec unquam a ueteribus ante uocalem ponebatur (cf.* Lachm. ad. Lucr. I, u. 82. 83.) *apud nostrum passim occurrit ante uocalem eaque semper producta cf.* u. 570, u. 779, u. 1034, u. 1137, u. 1180, u. 1374, u. 1593, u. 1711 alios, et Poenit. u. 100: ac ibi; u. 137: ac aliis; Lupar. u. 14: ac alia, u. 27: ac habitum. 1602. murici. 1619. grauior. 1624. prodesse. 1625. Nam nunc: *aut pro* nunc non *aut pro* Nam Num *scribi et post* queam *signum interrogationis poni, quantum uideo, sensus postulat.*

Regis ad imperium quod plus cupiam properare,
Namque metus tantos sum modo passus ego.“
Ergo, moras tantas antro faciente Cuardo,
Belinus clamat, quem mouet ira grauis:
„Cur tantas cunctas antro facis ipse, Cuarde?
Exi, nuncque ueni, nos et abire sinas!“
Audit Reinardus, exit taciteque profatus:
„O Beline nepos, ne moueare rogo.
Ut consoletur amitam lepus ipse moratur
Et flentes pueros, hunc et oportet adhuc,
Nam nimium plorant omnes ducuntque dolorem
Inmensum quod sum nunc abiturus ego.“
Et Belinus ait: „quid tu, Reinarde, Cuardo
Fecisti, quod sic uociferatus erat?
Auxilium uoce de me petiit miseranda:
Quidnam feceris huic nescio nempe mali.“
Et Reinardus ait: „Beline, Deus tibi parcat
Quod praesumpsisti dicere tale nefas!
Dum me ferre uidet coniunx peram baculumque,
Extasis arripuit hanc, quia tristis erat,
Et lepus ista uidens clamat: „„Beline, uenito,
Ut possis amitam iamque iuuare meam,““
Uoceque clamauit magna.“ Belinus ad ista,
Sicut erat simplex: „iam bene credo,“ refert,
Hunc me percepi misero clamore uocantem,
Deque sua uita tunc pauefactus eram.“
Hic ait: „Uxorem mallem mala ferre satosque
Quam leporem, carus est mihi nempe nepos.
Numquid ut audisti discedens rege rogabar
Ut sibi facta mihi littera missa foret?
— Et coram multis me rex rogitauerat illud —
Hanc si ferre uelis: estque parata modo.“
„Si scirem,“ Belinus ait, „dictamina fida

---

1634. exit et: et *deleui.* 1636. Consoletur ut amicam lepus ipse morari. 1637. hunc et oportet adhuc, *sc. morari; sin autem pro* hunc hoc *scribere mauis, non repugno.* 1643. huic *inserui.* 1649. amicam. 1657. littera facta foret. 1658. rogauerat.

Esse tui, posses me rogitare bene,
Aut in qua ferrem mihi nunc si pyxis adesset.“
Alter ait: „credas, est ea plena bono,
Atque tibi peram donabo libentius istam,
In qua, ne frangas, claudere quibis eam,
Rexque dabit grates laudesque mereberis inde
Magnas atque tibi rex erit inde fauens.“
Annuit hoc aries ac Reinardus subit antrum,
In peram leporis condidit ipse caput.
Protulit ex antro peram Reinardus, at illam
Huic ligat in collo, sic quoque dicit ei:
„Ne uideas chartam donec rex uiderit illam,
Res quia secreta scripta tenetur in hac.
Scitoque pro certo, quod regi charta placebit,
Dic quoque quod manibus est ea scripta tuis;
Regis consiliis de priuatis ita fies,
Ut magna laude tu uenereris ob hoc.
Sic bonus in populi dicere notarius ore,
Consilium quaeret uulgus habere tuum,
In regis fies sic cancellarius aula,
Pandet consilia rex tibi cuncta sua.“
Gaudet Belinus et prosiliebat in altum
Unius in spatium dimidiique pedis.
„Domneque Reinarde, scio quod me diligis“ inquit,
Extolli cum me quaeris honore magis;
Sic per te cunctis regis uenerabor in aula,
Cum scierint quod sim regis amicus ego:
Quod scio dictare pulchre dicent leuiterque
Et dicar populi scriptor in ore bonus,
Quamuis non fuerim. Sic multi sunt ad honorem
Prouecti quorum musa pusilla fuit.“
Hinc ad Reinardum dicit: „mi domne! Cuardus

---

1661. tui: *possis scribere* tibi, *at in latinitate medii aeui pro pronomine possessiuo personale passim usurpari monuit me M. Hauptius cf. Reinardi a Moneio editi lib. I.* u. 848: hunc hodie patiar solius esse tui? *ibid.* u. 320: rusticus accedens sensim ruiturus in illum Mole sui tota et Ecbasis u. 481: proque salute tui peragraui climata mundi. 1665. quiuis 1678. in populis dicerere. 1684. Domineque. 1692. domine.

Quid dicit? mecum numquid iturus erit?“
Ille refert: „non ibit adhuc secretaque pandam
Illi quae regi nuntius ore feret.
Suauiter ergo uiam praecede per hanc, et eadem
Te cito promotus ille secutus erit.“
Sicque ualefaciens abit hic, acquirit eundo
Iam sibi grande nefas perpetuumque metum.
Sic et adulantum multi quos ambitus urget,
Nutu falluntur in laqueumque cadunt.
Ac Reinardus item subit antrum, sic mulieri
Atque suis catulis ipse profatus ait:
„Iam uos cum magno rex, sicut credo, tumultu
Quaeret uos omnes morte perire uolens.
Ergo parate fugam, non est mora libera nobis.
Sum uir sumque pater, uos properate citi.“
Ad cuius uocem surgunt omnes fugiuntque
Desertumque petunt, ut latitare queant.
Ad medium caeli spatium iam duxerat axem
Cynthius ac umbras fecerat exiguas,
Perque polum iam decliuem descendere quaerens
Uersus ad occasum temo reflexus erat,
Cum Belinus adest ad regem, rexque uidens hunc:
„O Beline, quid est?“ dixerat „unde uenis?“
Quo noster peregrinus abit? dic cuius, an eius
Est haec pera? quid haec uult sibi curque uenis?“
At Belinus ait: „peregrinus abire paratus
Ut ferrem chartam me rogat ille tibi:
„Grata duci fiet gratesque mereberis“ inquit
„Dignas, si tuleris, rex erit ipse fauens.“
„Ista libens faciam“ dixi, „si sit mihi pyxis
Siue quid hanc in quo iam queo ferre duci.
Sic dedit hic peram chartamque recondit in illam
Ac hanc in collo mox ligat ipse meo.

---

1693. mecum *inserui cf.* Rein. fland. u. 3292: wille Cuwaert Met mi weder te hove gaen? 1695. Quem regi nuncius ire foret. 1702. mulieri; *conf.* u. 748, u. 1096, u. 1157, u. 1580 et *Iacobum Grimmium in libro qui inscribitur:* Lateinische Gedichte des X. u. XI. Jahrhunderts, p. XX. 1707, praeparate. 1711. Chirius. 1725. Et hanc.

Chartam dictabam, quidquid mihi uenerit inde,
Et de consiliis est ea facta meis.“
Ambitus et uana Belinum gloria talem
In laqueum ducunt unde redire nequit.
Ad missas chartas Boccardus simius omnes
Suetus adest legere, clericus ipse ducis.
Pera datur sumitque datam sumptamque resoluit:
Ostendit leporis haec resoluta caput.
Reinardi iam paret opus, similem quoque semper
Finem sortitum est et caput eius opus.
Et Boccardus ait: „leporis caput ecce Cuardi!
Nunquam uisa mihi littera talis erat,“
Emittit talemque rugitum rex leo cernens,
Quod pauidae cunctae contremuere ferae,
Horribilique sono percussa timore ferarum
Stat sed non audet turba mouere pedem.
Iam Firapellis adit regem tristem leopardus,
Hunc ut soletur, regius ille nepos.
„Desine“ ait, „tantum, rex, exercere dolorem,
Non pulchrum flere regibus esse reor;
Mortua te coram quamuis regina iaceret,
Attamen ille dolor immoderatus erat.“
At rex: „care nepos, peregrinus, garcio nequam,
Me lusit, quod erit uix mihi saluus honor,

---

1730. *Fortasse* At *scribendum est.* 1734. patet. 1735. sortitus et caput. 1738. Emittit talem rugitum. *Ad* talem que *particulam adnexui, quam emendationem et metrum postulat et aliis huius poematis locis stabilire posse mihi uideor. Nam ut eos praetermittam ubi* que *particula non praepositioni sed substantiuo ab ea suspenso subiuncta reperitur* (*conf.* u. 288, u. 879, u. 1609, u. 1701) *hos, quaeso, locos mecum considera:* u. 279. hoc gaudensque uidet, u. 672: ueniunt populusque canes quoque, *quamquam hic* quoque *coniunctio* que *coniunctioni quodam modo respondet;* u. 1321: Ad famulos socios iamque redito tuos (*nisi forte* que *particula cum* iam *aduerbio quasi unam in uocem coaluisse putanda est cf.* u. 603 et u. 1649). *Ac nescio an* u. 1176 (Narrat se poenasque) *huc pertineat, ita ut emendatione non opus sit. Alia* que *particulae non primo sed secundo vel tertio enuntiati uocabulo subiunctae exempla haec sunt*: Walthar. u. 187: Fulminis inque modum, u. 393: nunc inque sinistrum; Ruodl. fr. II, u. 110 gladium persaepeque portat, cf. fr. III, u. 145, u. 162, n. 223, u. 326, fr. V, u. 54; fr. XIV, u. 84.

Primatesque duos et primos inter amicos
Offensos nimium tradidit ille mihi.
Isengrinus atrox, Brunus quoque fortis et audax,
Hi sunt quos nimium laeserat ira mea;
Illis offensis uix unquam pacificabor,
Et merito, quoniam sum grauis innocuis.“
„Hanc,“ Firapellis ait, „rex, praetermitte loquellam,
Tu quia, cum sis rex, non querulosus eris;
Erratum si sit, error reuocabilis esto,
His si peccasti, corrige facta tua.
Emendam facias illis dignam, tibi pandam
Quid facias, nostris utere consiliis.
En, est Belinus mortis reus ille Cuardi,
Ut confessus erat nec reuocare potest,
Et sic concilio reus est factus, fericida
Idcirco culpam sentiat ille suam:
Illis tradatur cum posteritate perenni
Hunc ut edant, ueniat ultio talis ei.
Et iam Reinardi cum cunctis tecta petamus;
Inventus si sit, interimamus eum.“
Rex ait: „hoc laudo, fieri si talia possent,
His quoque sic essem pacificatus ego.“
Ac Firapellis ait: „temptatum conuenit ire,“
Sic abit ad captos atque resoluit eos.
Ille refert: „uobis ex regis nuntio parte
Treugas et firma foedera pacis ego.
Huncque mali facti piget emendareque captat
Iam uobis quidquid fecerit ipse mali,
Perque suam culpam se uos offendere nunquam
Spondet, sed stabilis semper amicus erit;
Ac de consilio sitis, perfectius eius
Seruetur uestro ut curia consilio,
Cumque suis cunctis Belinum iure perenni
Iam tradit uobis, uos ut edatis eos,

---

1753. laeserit. 1755. quin. 1766. tractatur. 1768. cum cuncta. 1780. At de consilio sicut perfeccius eius Uersetur uestro curia consilio. 1783. tradidit.

Reinardoque simul cunctisque suis noceatis;
Sitis delicti totius absque nota,
Quocunque inuenti fuerint siluisque iugisque,
Iam sine delicto uos capiatis eos.
Haec uobis offert rex, sed iurare fauorem
Sic uos et uestros uult sibi perpetuum.
Haec quoque sumentes possitis uiuere pace,
Et quod sumatis audeo consulere."
Consilium lupus et Brunus super his habituri
Cognatos adeunt consiliumque petunt.
Tandem consulti se facturos fore dicunt
Omnia, cum rex haec firma tenere uelit.
Omnes conueniunt sic coram rege, statutum
Ut foedus firment constituantque ratum.
Sed cum Belinus id cognouisset, ab ipso
Curia deseritur et fugitiuus abit,
Ac fugiens hominis suffragia quaerit, ab illo
Defendi captat taleque foedus init:
Anno sumendum confert huic uellus in omni,
Et sic uestitus quod tueatur eum;
Sic homo placatus hunc defensare laborat,
Illi pastores deputat atque canes.
Sic fit seruilis: uitam terrore perenni
Ducit quae dudum libera uixit ouis;
Hanc licet innocuam damnat confessio simplex
Defensare nequit quam sua simplicitas.
Sicut testantur Nasonis Pontica scripta:
Non est confessi causa tuenda rei.
Facta per Isaidem sic littera lusit Uriam:
Moecha duci nubit, innocuus sed obit.
Nulla tamen culpa est huius, confessio stulta
Istum condemnat, sit licet innocuus.
Rex sic proscriptum Belinum damnat et ipsum
Ursis expositum iudicat atque lupis,

---

1785. Satis. 1796. se. 1800. suffragio. 1811. *cf.* Ouid. epist. ex Pont. II, 2, 56. 1813. Mecha duci nubit, innocuus sed abit: Moecha duci nubit, innocuus sed obit *scripsit M. Hauptius.* 1815. sic.

Et sic decipitur mala per consortia uulpis.
Tuque malos uita, ne moriaris ita.
Regem delusum postquam sciuit catus esse,
Mox adiit regem de cruce prosiliens;
Mures Tiberto sic conceduntur edendi
Inque hominum tectis huic habitare datur.
Rex oculi redimens iacturam tradidit illi
Mures et glires, interimatque ut eos.
Ad Malepertusum rex cum multis properabat
Reinardum quaerens huncque necare uolens,
Et non inuentum proscriptum iudicat illum,
Exilio damnans hunc cito perpetuo.
Inde suas aedes sterni praecepit et uri,
Ut sic bannitus igne fugatus eat.
Et sic exosus animalibus omnibus ille
Raptibus et furtis uiuere nempe datur.
Curia diuiditur, ad propria quisque redibat.
Fabula finitur metaque finis adest.

Hoc opus exegi quod non delere uetustas
Impia nec poterit rumpere liuor edax.
Suscipe Balduini metra qualiacunque, Joannes,
Nomine qui iuuenis, corpore nempe senex;
Extinctus uiues cum uate tuo, quia seris
Nomina seruabunt carmina nostra tua.
Aeternum uiues post debita corporis, at nunc
Ad decus ecclesiae uiue ualeque diu.
Si quid habent ueri uatum praesagia, magnus —

---

1821. adit. 1825. interimatque eos; interimatque ut eos *scripsi; nisi facilius sic emendatur:* interimat quod eos. 1833. *conf.* Ruodl. fr. I u. 3: Qui dominos plures habuisse datur locupletes. 1836. Ouid. metam. lib. XV, u. 871 et u. 872 *quin poetae nostri animo obuersati sint non dubium mihi uidetur.* 1839. *cf. Jacobus Grimmius quae disputat in libro qui inscribitur* Reinhart Fuchs, pag. CCXLIV *de Balduini nomine.* 1842. uiuas. uiues *ueri similius est.* 1843. *in* ecclesiae *uocabulo antepaenultima syllaba perperam est correpta cf. Jacob. Grimm. in libro qui inscribitur:* Lat. Ged. d. X. u. XI. Jahrh. p. XXI. 1844. *cf.* Ouid. Trist. lib. IV el. 10. u. 129. — *Ultimos quattuor uersus, qui quin a Balduino scripti non sint nemo dubitabit, uncis includere malui.*

Nuntio praesaga mente — futurus ades.
Insula, congaude, cum praesit praepositurae
Iste tuae, similem uix habitura patrem.

[Finit Reinardus, per quem signatur iniquus
Quiuis deceptor quem leo celsus adit.
Quamuis proscriptus sit Reinart, uis tamen eius
Urbibus et castris regnat et ecclesiis.]

---

1849. odit; adit, *nisi fallor, scribendum est, nam* odit *praesens esse ego quidem statuere non audeo.*

# ADDENDA.

Ad u. 875. Fortasse scribendum est: Squirio, mustela; cf. Ecbas. u. 651 et u. 660, et Rein. flandr. u. 1864.

Ad u. 1314. *Ultima* antea *aduerbii syllaba corripitur; quam licentiam Balduinus non solus admisit. In Isengrimo enim, in Reinardo a Moneio edito, Walthario, Ruodliebo (in Ecbasi, Poenitentiario, Lupario minoribusque fabulis nec* antea *nec* postea *occurrit) cum alia eiusdem generis aduerbia incolumem seruent ultimae syllabae quantitatem*, antea *et* postea *nisi correpta ultima nusquam reperiuntur. conf.* Isengr. u. 162: quapropter nunquam postea recta geram, u. 431: Hanc tunicam tinxit tyrius paulo antea murex; Rein. a Mon. ed. lib. I, u. 649. Antea peccabam; lib. I, u. 1568: Si plus optarit, postea nosmet edat; lib. IV, u. 175: uulpe loquente leo reticet, non antea pontem; Walth. u. 15: quam postea narro u. 236 sed postea talia reddit; u. 957: sed semita, ut antea dixi, u. 1086: Antea queis fuimus suspecti; Ruodl. fr. VI, u. 114: Haec nunquam risit, cum nemine postea lusit, fr. VII, u. 5: frons quae fuit antea plana; fr. XIII, u. 50: Postea scutellas dapifer cum posceret illas.

Ad u. 1738. *cf.* Ecbasis u. 225: Ut te collaudem, uideam geminumque parentem; Rein. a Mon. ed. lib. III, u. 302: pontificis daci subripuitque caput. — *Verumtamen num omnino emendatione opus sit dubitari posse non infitior, nam ut rudendi uerbum prima syllaba longa reperitur apud Persium et Ausonium* (cf. O. Jahn. ad Pers. sat. III, u. 9 et Poenit. u. 290) *sic in rugitus quoque uocabulo et rugiendi uerbo primae syllabae quantitas fortasse sibi non constitit*, cf. Rein. a Mon. ed. lib. II, uersus 99 et 100: Murmur erat nullum, uix fortem rege gemente Rugitum suffert terrificata phalanx.

p. 22, adnot. u. 4 *lege:* quod cogebat undam. praef. p. IV, u. 32 *pro* indicatos, *quod praepropere corrigentis calamo excidit*, *lege:* notatos. p. 2, u. 26 *lege:* Suauis odor, redolent etc.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Knorr, Guilelmus

Reinhardus vulpes Emendavit et adnotavit Guilelmus Knorr

Utini 1860
P.o.germ. 1140 ik
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10116924-4